

Dupl.
H.L.

31.

1685, 10^a

12

I. N. J.

DISSERTATIO JURIDICA

De

TERGO SUBSIDIARIO.

vulgò

Von der Bezahlung mit der Haut.

Quam

DEO T. O. M. clementer annuente,

&

Magnifico Ictorum Ordine in Illustri
Philyreâ permittente,

Sub PRÆSIDIO

DN. LÜDERI MENCKENII,

Philosoph, & J. U. D.

Fautoris ac Præceptoris sui ætatem
devenerandi,

31

Placidæ Eruditorum disquisitioni submittit

AUTOR & RESPONDENS

ANDREAS BENJAMIN PRÆTORIUS, Lissa-Missa.

H. L. Q. C.


Ad d. XXIX. Octobris M. DC. LXXXV.

L I P S I Æ,

Literis CHRISTIANI BANCKMANNI

him
L





L. B.



N commendendo Themate suo alii curam adhibent non exiguam, nec infructuosam. A quo labore merelevat materia frequenter à Doctõribus commendata necessaria cognitio & insignis utilitas: Hac enim efficit, ut assidue in foro cathedrae aures circumsonet miserum illud solamen sub paupertatis onere ingemiscientium: Qui non habet in ære, luat in corpore. Ordinis igitur rationem loco commendationis redditurus Cap. Imo Tergi Subsidiarii Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam. Cap. II. Definitionem, Originem, Causam Efficientem & Subjectum. Cap. III. Objectum Generale & Speciale. Cap. IV. Formam, Finem & Effectum complectar. Faxit DEUS ut omnia competenter gerantur, Nov. 6. pr. & quæ inchoata sunt bono exitu peragantur, c. 25. caus. 1. q. 1.

CAP. I.

Exhibet

TERGI SUBSIDIARII ETYMOLOGIAM, HOMONYMIAM ET SYNONYMIAM.

Th. I.

Equidem propositi nostri ratio haud efflagitat scrupulos in verborum enucleationem, quæ Grammaticis merito relinquitur, non tamen præmittendum esse duximus, quod Tergi Subsidiarii Introductio.

A 2

diarii

prim
1.



Etymologia
verbi tergium

item verbi
Subsidiarium

Tergum Subsidi-
arii Homony-
mia, eaque
spectatur vel
conjunctim
vel disjun-
ctim; con-
junctim vel gene-
ralius.
vel Specialius

Disjunctim,
atque ita vel
proprie
vel improprie.

diarii nomen non solum Antoribus classicis, sed Juri Civili etiam
cognitum proximis abhinc seculis nasci & à neotericis Jurium Doctori-
bus agnosci cœperit ZAS. *ad inst. tit. de Act. §. Pœnales n. 25.* SCHNEI-
DEW. *in comm. Inst. cit. §. n. 55.* HILLIG. *in DONELL. lib. 23. c. 2. p. 1032.*
SPECKH. *cent. 1. qu. 40. n. 1.* MOLLER. *ad Const. Elect. 12. P. 4. n. 8.* Dedu-
citur autem tergi vocabulum vel à terere, quia tergium sæpius teritur
onere crebro, vel à terrâ, ut alii volunt, hanc suæ derivationis red-
dentes rationem, quod in tergo homines supini jaceant, & super ter-
râ quiescant, HOFFM. *Tom. 1. Lexic. Univ. verb. Tergus.* Subsidiarii
nomen verò à verbo subsidiari descendit, & non infrequens est apud
bonos autores, hinc LIVIUS *cohortem subsidiariam*, item *subsidium*,
parare, subsidiis legiones constabilire dixit. CAESAR, *L. 2. de B. G. ait sub-*
sidium bellissimum esse existimo senectuti otium.

Th. II. Ad homonymiam conversi titulum dissertationis no-
stræ spectamus vel *conjunctim* vel *disjunctim*. Conjunctim vel ge-
neraliter & pœnæ tam ordinariæ quam subsidiariæ, vel specialiter & pœ-
næ saltem subsidiariæ species est. Generaliter acceptum Tergum Subsidi-
arium comprehendit pœnæ corpus coercentis illationem, tam cum
pœna legitimâ electivè concurrentem, quam in pœnæ pecuniariæ lo-
cum subsidiariæ surrogatam *l. 24 §. 3 ff de Minor. l. 17 §. 4. ff de In-*
jur. l. 49. ff de Administr. & peric. tut. l. 9. ff de incend. rum. l. 6 §. f. C.
de mod. mult. Specialiter vero sumptum denotat tantum pœnam corpo-
ris afflictivam in locum æris deficientis succedentem adeoque subsidia-
riam *l. 7 §. 3. ff de Jurisd. l. fin ff. de in jus voc. l. 6. C. de sepulch. viol.*
l. 12. §. 5. & 8. C. de adif. Privat.

Th. III. Tergum disjunctim capitur *proprie* pro corporis hu-
mani parte posteriori, seu toto illo descensu ab occipite ad infimas
usque nates JOH. MAGIR. *in Physiol. Perip. L. 5. c. 10. §. 50 & 51 impro-*
pris vero, ut brevitati & instituto servientes alios significatus omitta-
mus, frequenter usurpatur pro ea corporis parte, quæ plagis perpeti-
endis non raro subjicitur, hinc eleganter PRUDENTIUS *in Hymn. Sand.*
Rom.

Vix hæc profatus pusionem præcipit
Sublime tollant, & manu pulsant nates,
Mox & remota veste virgis verberent,
Tenerumque diris ictibus tergium secant.

Th. IV.

Th. IV. Subsidiarii vocula disjunctim considerata, vel generaliter pro quovis auxilio & adminiculo præstante, (ut est apud CORN. NEP. in vita Pelopidae. ult. Ita persuasit Thebanis, ut subsidio Thessalia proficiscerentur.) vel specialiter pro adjutorio & refugio ultimo, ad quod quasi ad anchoram sacram quis confugiat, sumitur §. 2. Inst. de Satisd. tut. l. 1. pr. & §. 4. ff. de Magist. conven. FUCHS. Comm. inst. ad d. §. 2. VINN. Comm. Inst. ibid. n. 1. SIM. SCHARD. Lex. Jurid. verb. Actio Subsidiaria. CARPZ. P. 2. C. 11. d. 41. n. 4.

Subsidiarii
vox disjunctim
vel generaliter
sumitur vel specialiter.

Th. V. Tergo Subsidiario æquipollet pœna corporalis pro multa surrogata, luitio subsidiaria corporis, alteratio, commutatio & conversio pœnæ pecuniariæ in corporalem SPECKH cent. 1. qv. 40. BOER. Decif. 349. n. 11. item subsidiaria & extraordinaria coercitio corporalis. BENDER. de revis. Conclus. 8. n. 25. vid. l. 1. §. 3. ff. de Pœn.

Synonymia
Tergi Subsidiarii.

CAP. II.

De

TERGI SUBSIDIARII DEFINITIONE, ORIGINE, CAUSA EFFICIENTE ET SUBJECTO.

Th. I.

Hæc generalibus de rubricæ significatione præmissis, ad ipsam progredimur definitionem; Et quidem TERGUM SUBSIDIARIUM est pœna delinquentiæ corpori, autoritate Legis & Magistratus, in locum pœnæ pecuniariæ, quam ob inopiam solvere nequeunt, inflicta, vitiosa emendanda & salutis publicæ conservanda gratia.

Definitio.

Th. II. Antequam vero ad alia perveniamus, de Tergi subsidiarii Origine, causa Efficiente & Subjecto nonnihil præmittemus; Est autem pœna corporalis in locum pecuniariæ ob inopiam delinquentis irroganda origine suâ Juris Naturalis, quod sicuti rationem proximi turpem esse judicat, ita impunitate malorum ferociam augeri, securitatem publicam everti, justissimamque læsi causam sine juris præsidio relinqui non permittit, tam unquam abest, ut hanc coercionem damnet, ut potius verbis SENECAE L. 2. de Irac. 27. moneat, bonorum Magistratum castigationem sic accipiendam esse, quomodo scalpelli & abluentia & alia quæ profutura torquent. Conf. GROTIUS de J. B. & P. L. 2.

Tergum Subsidiarium i. origine est Juris Naturalis;

2. Usu à Gentibus approbatum.

A 3

6. 20 tum.

sim



c. 20. th. 6. unde fit quod Tergum Subsidiarium apud Gentes non pau-
cas receptum esse cernimus. Ita fuisse illud haud infrequens deprehen-
dimus in Romanorum & Barbarorum legibus antiquissimis vid. Athala-
rici & Theodati Edicta, de quibus CASSIODOR. L. 9. var. Epist. 2. & L. 10.
Ep. 10. GELLIUS Noct. Attic. lib. 20. c. 1. LIV. Lib. 6. c. 34. Nepos in vita
Miltiadis c. 7. in f. plura vid. apud ANDR. LIPSK. cent. 1. Observat. 33.
Ut unam saltem in fidem vocemus legem Moschowitarum, jure hujus
populi injurians, qui solvendo non est, læso traditur, ut eum vel man-
cipii locò retineat, vel in subsidium fustibus publicè cædi mandet.
OLEAR. in Itiner. Mosc. & Pers. L. 3. c. 6. §. Damit gleichwohl zc. cum
quo conspirat id quod monet MEVIUS ad Jus Lubec. injuriantem scilicet,
si non habeat unde nec judicio nec parti læsæ solvat, in subsidium luere
in corpore Lib. 4. art. 11. tit. 4. atque ita communiter pronunciari in
variis regionibus existimat n. 6. Conf. de Jure Sax. §. N. L. 2. a. 16.
ibid. Gloss. n. 6. & L. 3. a. 32. n. 9.

Tergi Subsidiarii
Causa
Efficiens re-
motà est Jus
Civile.

Juris Civilis
Regula funda-
mentalis Ter-
gi Subsidiarii.

Objectionis
Prima.

Objectionis
Resolutio.

Th. III. Quemadmodum origine Juris Naturalis usque Gen-
tium non paucarum receptum esse Tergum Subsidiarium ostendimus,
ita determinatione illud Juris Civilis esse putamus, unde Causam illius
Efficientem remotam constituimus Jus Civile, quod locis propemo-
dum innumeris tritissimam hanc regulam complectitur: **Qui non
habet in ære, luat in corpore.** l. 7. §. 3. ff. de Jurisd. l. 25. ff.
de in jus voc. l. 9. ff. de incend. ruin. l. ult. C. de mod. mult. l. 4. C. de
serv. fugit. l. 12. §. 5. in fin. & §. 8. C. de edif. privat. idemque nec à
Feudali Jure 2. Feud. 53. §. 1. in fin. nec à Canonico abhorret c. 17. X. de Ju-
dais, & cap. finem litibus. 5. X. de dolo & contumac. cujus regulæ ple-
niore interpretatione in cap. 3. rejectâ, hoc locò dubia, quæ contra eam
moveri possunt, excutiemus. Graviter autem regulæ nostræ primò
videtur obstare, quod poena delicto commensurari debeat, inter pœ-
nam verò pecuniariam & corporis afflictivam justa non sit proportio,
quò respicere credi poterat MACER in l. 10. §. fin. ff. de Pœn. dum solus,
inquit, fustium ictus gravior est quam pecuniaria damnatio. At salva
res est: Non enim de pœna corpus coercente in locum pecuniariæ iis
irroganda loquimur, quos patrimonii amplitudo ad æris contemptum
dolorisque summam aversationem ducit, sed de his, in quibus res an-
gusta domi miserumque paupertatis onus argenti desiderium, & infami-
tam

nam propemodum æstimationem parit. His nummus alter quasi sanguis
est; cum & famis sedandæ ergo crimina sæpè conentur morte expianda,
& non rarò loris coërceri quàm fame premi malint, & à præstatione
pœnæ pecuniariæ per ipsam non habendi necessitatem excusentur.
Impunes verò eos relinqui nec salus publica, nec justum malos coër-
cendi studium, nec injusta læsæ partis offensio patitur; justissimâ igitur
proportione pro pœna pecuniaria corporalem, illi ex arbitrio judicis
æqvipollentem, sustinent. Neque ab his diversum sensit MACER in
cit. l. 10. §. f. ff. de Pœn. illius enim verba ex mente in tota lege expressâ
æstimanda sunt *a. l. 17. l. 24. ff. de legib.* loquitur autem de eo casu, quo
judex furti reum non in duplum vel quadruplum condemnaverat, sed
ultra meritum fustibus cædi jusserat; Unde dubitatum, an infamia,
quæ condemnatum in actione furti comitatur *l. 42. ff. de V. S.* ob gra-
viorè pœnam irrogatam *l. 13. §. 7. ff. de his qui not. infam.* à judice
censeatur esse remissa? Quod affirmatur, adductâ ratione, quod solus
fustium ictus gravior sit quàm pecuniaria damnatio, scilicet quando
non ob rei inopiam, sed ad augendam pœnæ acerbiteriam fustium
ictus reo impositus est. Conf. DONELL. *comm. l. 18. c. 8. l. ee. ibiq. Hil-*
lig. Nec obstat quod plebejorum in *d. §.* quoque fiat mentio, hi enim
intuitu vilioris conditionis in quâ sunt in civitate, si cum nobilioribus,
ut decurionibus, conferantur, sic appellantur, non ratione copię aut
inopiæ argenti: quandoquidem opes monente SENECA *Ep. 87.* & lenoni
& lanistæ contingunt, & pecunia sic in quosdam homines viles & impu-
ros quomodo denarius in cloacam cadit. Ut taceam imparitate in casu
inopiæ inter fustigationem & pœnam pecuniariam admisâ ratione de-
stitui *text. in l. 12. §. 5. 8. C. de adif. Priv. 2. F. 53. §. 1.* fustigationem
in locum pœnæ pecuniariæ surrogantes. Secundò nihil contra thema *Objectio sec-*
nostrum facit responsum ULPIANI in *l. 6. §. f. ff. de off. Pras.* in quo di-
citur: Remissam propter inopiam multam à Provincias regentibus exi-
gi non debere, nam (1.) non remittendam esse semper multam, sed *Resolutio præ-*
aliqquando moderari ac remitti eam posse propter inopiam inde colligi-
tur. (2.) non de pœna qualibet, sed in specie de multâ dictus textus lo-
quitur, quæ, cum non ex lege certa sed arbitrio judicis relicta sit, mi-
nui & nonnunquam in præjudicium fisci remitti potest *a. l. 244. ff. de*
V. S. j. l. 10. ff. de Jure Fisc. BACH. *Comm. in prim. Part. Pand. ad l. 6.*
§. f. ff. de off. Pras. ANTON. MATTH. *de crim. l. 47. t. 3. c. 3. n. 6.* WIS-
SENBO.

SEN. ad. d. l. 244. ff. de V. S. n. 2. JUL. CLAR. SENT. L. 5. S. fin. qv. 95. num. 8.

Tergi Subsidiarii
Causa Efficiens Proxima est Magistratus competentis arbitrium.
Idq; dividitur in limitatum & illimitatum.

Limitatum est vel tale ratione poenae qualitatis tantum vel ratione qualitatis & quantitatis simul.

Qv. An Tergum Subsidiarium pertinet ad Magistratum merum aut mixtum imperium habentem.
Jure Civili ad merum imperium pertinet.
Ratio prima

Th. IV. Ex tradita definitione porro constat, Tergi Subsidiarii Causam proximam esse Magistratus competentis arbitrium l. 1. §. f. ff. de Pen. l. 4. C. de serv. fugit. qui reum aris inopia laborantem ad poenam corporis afflictivam condemnat, ne vel impunitate pro flagitio gaudeat, vel judiciorum vigor & juris publici tutela corruat, quae poenarum severitate bonos defendit, privatisque vindicta privata interdicat a. l. 14. C. de Judais. l. 5. C. de his qui ad Eccl. confug. Est autem hoc judicis arbitrium vel determinatum seu limitatum, vel indeterminatum seu illimitatum d. l. 1. ff. de Pen. l. 12. §. 5. 8. C. de edif. Priv. Hoc toties Locum habet, quoties lege certa poena corporis afflictiva pecuniariae surrogata non est l. 1. §. f. ff. de Jure delib. l. 1. §. 1. ff. de Effract. & Expilat. MEV. P. 7. Dec. 226. n. 3. GAIL. L. 1. O. 87. n. 1. CARPZ. P. 4. C. 17. d. 12. n. 6. Determinatum est tale, vel ratione qualitatis poenae irrogandae tantum; sic verberatio definita in cas. l. 12. §. 5. 8. C. de Edif. Priv. l. 9. ff. de Incend. ruin. nauf. 2. F. 53. §. 1. carcer in ord. Crim. art. 216. vel ratione qualitatis & quantitatis simul, ita pro multa unius sexagenae novae carceris poenam ad triduum dictari solere in Saxonia observavit CARPZ. Pr. Cr. qv. 133. n. 47.

Th. V. Quoniam vero poena ab incompetente iudice jure imponi non potest l. 2. C. de Pen. l. 4. C. de Serv. fug. BRUNN. ad d. l. 2. C. n. 3. vel in primis hoc loco investigandum erit, an haec poena corporis afflictivae in locum pecuniariae surrogatio Magistratui non tantum merum, sed etiam mixtum imperium habenti permittenda sit? Quod ex Jure Civili primum, deinde ex Jure moderno decidendum venit. Et secundum Jus Civile quidem illa poenae pecuniariae in corporalem commutatio (si facultatem ex causa judicati deducendi condemnatum in carcerem publicum excipias) videtur iudici merum imperium habenti esse propria: (1.) enim in contractibus Tergo Subsidiario locus non est, quandoquidem nullam habere creditur actionem, cui propter inopiam adversarii inanis est actio l. 6. ff. de dolo mal. j. l. 2. C. de Exact. trib. MEV. P. 3. Decis. 354. BRUNNEM. ad l. 7. ff. de Jurisd. n. 3. JASON ad S. Penales de act. n. 43. in delictis vero Magistratus merito imperio destituti iis coercendi modis, qui illis virtute mixti imperii sunt permitti, non tam corporis affligendi, quam suae jurisdictionis tuendae gratia utuntur

tuntur l. 1. §. f. l. f. §. 1. ff. de off. ejus cui mand. jurisd. (2.) non frustra ^{secunda.}
in l. 1. §. f. ff. de Poen. Tergum Subsidiarium ad Præfectos vel Præsides,
qui de Publico vel privato crimine extra ordinem cognoscunt, refertur,
& inopia laborans libertus, qui 50. aureos solvere nequit, patrono non
impetratâ veniâ in jus vocato, à Præfecto Urbi quasi in officiosus castiga-
tur. l. f. ff. de in jus voc. solebat enim is in quem gravius, quam Prætor
jurisdictionis permittebat, animadvertendum erat ad Præfectum Urbi re-
mitti puniendus l. 1. §. f. ff. & l. 2. ff. de Suspect. tut. id quod vel mani-
festissime in hac materia indicat l. 4. C. de serv. fug. quæ in eum, qui ad
Pœnam pecuniariam solvendam non sufficit, æstimatione competentis
judicis castigationem procedere tradit j. l. 6. C. de Sepulch. viol. (3.) ^{tertia.}
Judex qui merum imperium non habet ad pœnam pecuniariam infli-
gendam obstrictus neque impunem relinquere potest reum, quia di-
spensandi arbitrium penes ipsum non est a. l. 15. C. de Poen. l. 27. ff. eod.
neque eundem in pœnam corporis afflictivam condemnare, quoniam
hoc terminos jurisdictionis competentis egreditur a. l. 1. ff. de off. ejus
cui mand. Ergo necesse est ut reum ad Magistratum merum imperium
habentem puniendum remittat fac. a. l. 9. §. f. ff. ad L. Jul. Pecul. jung.
Nov. 15. c. 16. Conf. SCIPIO GENTIL. de jurisd. l. 3. c. 11. ANTON. CA-
PICUS dec. 27. n. 19. PAULUS de CASTRO in l. f. ff. de in jus voc. n. 5. CAE-
POLL. Tr. Cautel. caut. 16. BARTOL. in l. f. ff. de in jus voc. Hinc te-
statur JULIUS CLARUS Sent. L. 5. §. f. qv. 95. n. 2. quod, cum in Se-
natu Mediolanensi hæc pœnæ pecuniariæ in corporalem com-
mutatio Senatui sit propria, in gravissimam reprehensionem
inciderit Prætor, qui inconsultò senatu fustigationem ob æris
inopiam reo dictaverat. Confirmatâ sic sententia nostrâ reli-
quum est, ut ad ea, quæ scrupulum injicere possunt, respondeat-
ur; ubi in primis cum Bartolo conflictandum est, qui hanc pœnæ pecu-
nariæ in corporalem conversionem in pr. t. de Jurisd. l. t. ad Jurisdic-
tionis simplicis gradum secundum retulit, cum quo ita disputabimus,
ut ne quidem illud, quod pro ipsius sententia afferri potest, dissimule-
mus. Facit autem pro Bartolo (1.) vulgatum juris axioma: Surroga-
tum sapit naturam ejus, cujus in locum surrogatur a. l. 10. §. 2. ff. si quis
caut. l. 18. ff. quod met. caus. Atqui pœna corporalis in pecuniariæ lo-
cum surrogatur, cujus dictatio & executio Magistratui civilem jurisdic-
tionem habenti permittitur. E. corporalis quoque pœna ab eodem dictari
B & ex-

Objectio pri-
ma Bartoli.

prim
L



Responsio ad
objectionem.

Obiectio se-
cunda ex l. 35.
ff. de Injur.

Responsio
prima add.
l. 35.

& executioni mandari potest. At sicuti dictum axioma in materia ju-
risdictionis applicatu difficillimum esse ex *l. 5. ff. de jurisd. § c. 3. X.
de off. & Pot. Jud. del.* constat, ita tum demum subsistit, cum inter
surrogatum, & id cui fit surrogatio non intercedit notabilis diver-
sitate ratio *a. l. 1. §. 13. ff. de success. edict. AUG. BARBOS. L. 17. c. 59.
ax. 3. verb. Limita octavo.* quæ nostro casu in promptu est: poena enim
pecuniaria in delictis à Magistratu, qui merò imperiò destituitur,
reis infligi potest, corporis afflictiva non item *l. 1. §. 7. ff. de Off. Praef.
urb. (2.)* Sententiæ Bartoli patrocinari videtur *l. 35. ff. de Injur.* ubi
Ulpianus inquit: Si quis injuriam atrocem fecerit, qui contemnere
injuriarum judicium possit, ob infamiam suam & egestatem, Prætor
acriter exequi hanc rem debet, & eos, qui injuriam fecerunt, co-
ercere, cui dubio ut occurreret Antonius Faber, violentas textui intulit
manus, & pro Prætoris Præfectum substituit, quam corrigendi
licentiam Imperatori quàm Jcto convenientiorem rectè reprehendit
BACHOV. *in l. 1. §. 7. ff. de off. Praef. Urb.* suosque acriorem quoque
animadversionem habere gradus animadvertit, at quinam gradus
in *d. l.* intelligi possit non designat; in eum igitur ut inquiramus res
exigit. De carcere autem sensisse Jctum nec à verbis legis, neque
ab Historia Romana videtur esse alienum. Nam coërcitionis voca-
bulum secundum materiam substratam & Potestatem Prætoris rectè
intelligi potest de coërcitione modica *a. l. f. §. 1. ff. de off. ejus cui
mand. jurisd.* quæ per conjectionem in carcerem quoque fit *l. 9. §. f.
ff. ad L. Jul. Pecul.* Et hæc quidem coërcitio acris dicitur executio
oppositivè ad poenam pecuniariam ab his, qui pecunia non indigent
præstandam: eorum enim intuitu multò gravior videtur corporis
coërcitio, quàm poenæ nummarie solutio. Huic interpretationi
suffragatur Historia Romanarum legum, quæ, cum summum ab ini-
tio rigorem in eos, qui solvendo non erant, statuerent, successu tem-
poris mitigatæ sunt. Confer. HOTOMANN. *ill. qu. 26. per tot.* præci-
puè postquam per legem Juliam cessionis beneficium debitoribus da-
tum est *l. 4. C. qui bon. ced. poss.* ne judicati detraherentur in carce-
rem *l. 1. C. d. t. j. l. 42. ff. de Re jud.* SCIPIO GENTIL. *de Jurisd. L. 1.
c. 13.* At beneficium hoc cessionis iis, qui ex delicto debitores sunt,
nullibi concessum est, quippe qui tanquam violatores legum hoc
beneficio legis indignissimi sunt. *a. l. 30. ff. ad SCT. Fell. l. 37. ff. de
Minor.*

Minor. l. 52. ff. de re jud. ANTON. PEREZ. in C. t. qui bon. ced. poss. n. 10. COVARRUV. Var. Resol. l. 2. c. 1. n. 8. MENOCH. de A. J. Q. cas. 447. n. 17. Ergo Prætor eum, qui contemnere injuriarum judicium ob egestatem possit, rectè in carcerem duci imperat. fac. N. 135. verb. dum corporis supplicium illi remittitur. j. l. 7. C. qui bon. ced. poss. Equidem sunt qui carceris hanc pœnam Juri Civili incognitam esse credant v. CORAS. SCTOR. THOLOS. c. 43. Sed eos tutissimè de perpetuo carcere sensisse existimabimus: carcerem enim publicum ad tempus dictatum inter puniendi nonnunquam modos Jure Civili relatum Prætorique permissum fuisse vix inficiabitur, qui l. 1. §. f. ff. de Aleator. l. 2. 3. ff. de Custod. & exhib. reor. l. 8. §. 9. ff. de Pœn. j. l. 35. ff. l. 6. C. eod. & Ord. Crim. art. 11. 157. studiosè excusserit, Conf. ZIGL. ad Inst. 7. Canon. L. 1. t. 20. §. 4. verb. immutandi. WISSENB. ad π. P. 2. Disp. 37. θ. 24. GROENEW. de LL. abrog. ad L. 6. C. de Pœn. n. 3. CUJAC. l. 14. O. 34. SCIPIO GENTIL. de Jurisd. l. 1. c. 6. Conf. BACH. ad Tr. V. 2. D. 31. §. 4. lit. d. verb. carcer. TABOR in comm. ad art. 157. Ord. Cr. §. 25. p. 450. ECHOLD. compend. π. t. de Pœn. §. 3. ibiq. Magnif. SCHWENDENDÖRFF. HAHN. ad Wesenb. t. de Pœn. n. 4. JOH. ALTHUS. Dicaolog. L. 1. c. 98. num. 43. Cæterum non fuerit absurdum, si hæc displicuerit interpretatio l. 35. ff. de Injur. eand. de vilioribus personis explicare, in quas animadvertendi jus non raro apud Romanos etiam Magistratibus merò imperiò destitutis datum est. a l. 15 ff. de cond. caus. dat. SCIPIO GENTIL. de Jurisd. l. 3. c. 11. CUJAC. ad N. 13. lit. g. BARTOL. ad l. 15. ff. de condict. caus. dat. n. 2. Adeò autem incompetentem judicem esse eum, qui merò destituitur imperiò, nobis persuademus, ut nihil intersit, sive ab initio ob perspectam rei inopiam, sive ex postfacto, lata jam sententia pecuniariam pœnam continente deprehensaque delinquentis egestate, pœna pecuniaria in corporis afflictivam commutanda sit. De causis enim ad merum imperium pertinentibus ob coërcitionis atrocitatem judicandi potestatem non habet alius, quam cui hoc lege, Scto, vel constitutione Principis est tributum, inquit PAPINIANUS in l. 1. ff. de off. ej. cui mand. Jurisd. SCIPIO GENTIL. de Jurisd. Lib. 3. c. 11. cui sententiæ neque causæ connexitas neque incidentia adversatur. Non connexitas, quia hæc pœnæ commutatio non tam diversum à priore judicio judicium constituit, quàm sententiam à Judice civili latam is qui merum im-

Responsio se-
 cunda ad d.
 l. 35.

Ampliatio
 Decisi Quæ-
 stionis princi-
 palis.

Objectionis &
 connexitate
 causarum pe-
 titæ resolutio.

prim
 1



Objectionis
ab incidentia
causae desum-
tae resolutio.

perium habet commutatione poenae pecuniariae in corporalem adjuvat, ne ob rei inopiam plane inanis sit *a. l. 1. § 7. ff. de off. Praef.* ut taceam causae connexitatem in causis meri imperii eodem destitutis iudicandi facultatem non tribuere, ceu colligi potest ex MENOCH. *de A. I. Q. cas. 371. n. 23.* Non praebet causae, ut loqui solent, incidentia iudici civilem jurisdictionem habenti jus convertendi poenam pecuniariam in corporis afflictivam. Quamvis enim propterea in integrum restitutione iudex delegatus ab ordinario iudice, qui tantummodo facultatem iudicandi habet, cognoscere possit. *c. 9. X. de in integr. rest.* & jus iudicandi de causa seculari incidente Dd. Jur. Canon. vulgo etiam iudici ecclesiastico tribuant *a. c. 12. de sent. excomm. 6. Conf. MATTH. de aff. l. 1. rubr. 17. Const. Neop. n. 43.* à diversis tamen inde ad effectum tribuendi actum merito imperio proprium iudici, qui hoc imperium non habet, infertur: nam in integrum restitutio jurisdictionis est *l. f. C. qui & apud quos in integr. rest.* BACH. *ad Tr. V. l. D. 3. th. 4. l. c. in concedenda autem potestate iudicandi iudici Ecclesiastico in causa seculari incidente nec inter Dd. satis convenit monente MENOCH. d. l. n. 13. & COVARRUV. Pract. q. 34. n. 1. jung. CRAVETT [Conf. 233. n. 3. nec causae ecclesiasticae criminalibus ratione jurisdictionis & huius privilegii pares videri possunt fac. l. 14. l. 16. ff. de ll. Cæterum quia carcer inter poenas Jure canonico *c. 3. de Pæn. in 6. SCHILTER diff. Jur. Civ. & Can. th. 17. verb. custod. & moderno v. Ord. Cr. art. 157. referri solet, Gudelin. de Jure Noviss. l. 6. c. 16. §. Reliqua. CARPZ. Pr. Cr. qv. 130. n. 8. GROENEW. de ll. abrog. ad l. 6. C. de pæn. n. 3. jus commutandi poenam ob egestatem in poenam carceris iudici inferiorem jurisdictionem possidenti merito tribuimus. vid. consultiff Dn. D. PRAESES in Addit. Jpr. Struv. L. 3. t. 9. a. 2. dummodo huius limitata plerumque carcere plectendi potestas ad poenam pecuniariae equipollentem extendatur; Quoties vero ad statuendam poenae paritatem vel ad fustigationem, vel ad eam carceris diuturnitatem, quam definire iudici inferiorem jurisdictionem habenti non licet, perveniendum fuerit, iudici superiore jurisdictione utenti causam esse committendam credimus. Conf. CARPZ. Pr. Cr. qv. 109. n. 26. seqq. & praec. vid. n. 36. 64.**

Th. VI. Antequam vero ad Tergi Subsidiarii Subjectum progrediamur, circa magistratus competentis in surroganda hac poenâ arbitrium una alterave quaestio expedienda venit; Et primo quidem qua-

Qv. An. Ma- ritur: *An Magistratus debitore solvendo non existente ex officio, vel parte*

V. S. l. un. C. ut nem. inv. ag. videatur TAB. & BARBOS. Axiom. l. 14. c. 104. ax. 5. item PAUL. de CASTRO ad L. f. ff. de in jus voc. n. 3.

Qv. An Judicis arbitrium, quando illi relicta est pœnæ infligendæ determinatio, ad pœnæ pecuniariæ commutationem in corporalem pervenire queat?
Resp. affir.
Objectio ex L. 6. §. f. ff. de offic. Præs.
Responsio.

Th. VII. Secundò quæritur: *An judicis arbitrium, quando illi relicta est pœnæ infligendæ determinatio, ad pœnæ pecuniariæ commutationem in corporalem pervenire queat?* Quod affirmandum omninò est, quandoquidem Judex tum obstrictus esse videtur, ut pœnam legitimam imponat ex arbitrio suo non affectata vel severitatis vel clementiæ gloria l. 11. 13. ff. de Pœn. l. 3. ff. de Accusat. l. 1. §. 4. ff. ad SCt. Turpill. jung. Ord. Crim. art. 89. BARTOL. ad l. 1. §. 5. ff. ad L. Jul. de Adult. n. 13. CARPZ. Pr. Cr. qu. 106. n. 10. JUL. CLAR. sent. lib. 5. §. fin. qu. 12. n. 21. legitima verò pœna est corporis coërcitio in locum pecuniariæ pœnæ apud egentem substituta l. 1. §. f. ff. de Pœn. Jul. Clar. Sent. lib. 5. §. f. qu. 85. n. 11. N. O. l. 6. §. f. ff. de off. Præs. quâ motus in contrariam sententiam abire videtur COSTAL. in d. l. 6. nam à facultate remittendi & temperandi pœnam pecuniariam ad remittendi necessitatem & prohibitam illius in pœnam corporis afflictivam conversionem non valet consequentia, vid. MENOCH. de A. J. Q. Lib. 2. cas. 447. n. 5.

Qv. An hodie Magistratus suo arbitrio, an verò ad consilium Peritorum hanc pœnæ commutationem facere debeat?
Resp. dist.

Th. VIII. Tertiò in dubium vocari potest: *An hodie Magistratus suo arbitrio an verò ad consilium Peritorum hanc pœnæ commutationem facere debeat?* ubi distinguendum erit: nam vel, deficiente legis speciali determinatione, pœna pecuniaria exigua est, ita ut eidem paucissimorum dierum incarcerationio æquipolleat, vel tanta, ut carceris pœna diuturnior aut gravior quædam corporis coërcitio dictanda sit, priori casu pœnæ pecuniariæ in corporalem commutatio secundum prudens periti judicis arbitrium fieri potest; Posteriori casu verò Peritos in hac commutatione pœnæ pecuniariæ in corporalem consuli necessarium est, quoniam tum hic ipse coërcendi modus ad Jurisdictionem Criminalem refertur a. art. 105. & f. Ord. Cr. Carolina. jung. BLUMENLACH. in comm. cit. ord. Resolut. Grav. Sax. de Anno 1609. gr. 5. vid. STEPH. ad d. art. fin. O. C. CARPZ. Pr. Cr. q. 116. n. 27. 28. PHILIPP. Us. Pr. Inst. l. 1. Eccl. 23. n. 5. WUNSCH. Tr. de Actis judic. c. 13. §. 9. præcipuè si in commutanda pœna moveri queat inter judicem superiore & inferiore jurisdictione gaudentem controversia a. l. un. C. Ne quis in suacaus. Conf. CARPZ. Proc. T. 3. a. 4. n. 104. id. L. 2. Resp. 14. n. 17. adeò quidem ut sententiam non consultis Peritis latam hoc casu nullitatis

tatis arguat *A. c. cum olim de his que sunt à Præl.* MATTH. *de Afflict. in Const. Neop. L. 1. Rubr. 45. n. 28.*

Th. IX. Quartò investigandum est hoc loco: *An Judex reo solvendo non existenti in vicem pœne pecuniariae ultimum supplicium irrogare queat?* Quòd omninò negandum esse existimamus. Quamquam enim in pœnis arbitrariis nonnunquam ad ultimum supplicium pervenire licet, ceu nullo negotio ex *l. 9. ff. Extraord. Crim. l. 5. §. f. ff. ad L. Jul. repetund. l. 3. l. f. ff. de Sepulch. viol. l. 11. ff. de Pœn.* evincitur. ANTON. MATTH. *de Crim. proleg. c. 4. n. 11.* ANTON. GOMEZ. *var. Resol. Tom. 3. c. 16. n. 8.* præcipuè quando ipsa lex ob circumstantiarum gravitatem ad ultimum supplicium ex arbitrio judicis imponendum progreditur *Ord. Crim. art. 112. P. 4. Concl. El. 43.* CARPZ. *Pr. Cr. q. 133. n. 25.* MENOCH. *de A. J. Q. l. 1. qu. 86. n. 1.* non tamen quisquam, ut opinor, diffitebitur maximam intercedere inter pœnam pecuniariam & ultimum supplicium inæqualitatem, quandoquidem pœna pecuniaria delicti omnem æstimationem exhaurit: nulla verò pecuniaria æstimatio æstimationem corporis liberi, quod æstimationem non recipit *l. 1. §. 5. l. f. ff. de his qui effud. vel dej. complectitur;* Quoniam igitur inter pœnam pecuniariam & mortis justa non est proportio, ab ultimi supplicii in pecuniariae locum surrogatione merito sibi temperat judex, qui infinitam pœnam pro delicto finitam æstimationem continente non esse irrogandam meminit *l. 11. ff. de Pœn. l. 4. §. 1. ff. de incend. ruin. nauf. vid. CARPZ. Pr. Cr. qu. 77. n. 47. CLUD. tr. de condict. furt. c. 50. n. 41. ANTON. MATTH. de Crim. l. 47. t. 1. c. 1. n. 6. FABER. Racemat. Cr. ad art. 160. ord Crim. §. 18. p. 504.*

Th. X. Quintò expedienda est breviter controversia: *An Magistratus sine offensi consensu pœnam pecuniariam, quæ ob rei inopiam in corporalem convertenda esset, remittere possit?* Ubi distinguendum esse putamus inter magistratum superiorem, qui jure majestatis gaudet, & inferiorem, qui vel vi jurisdictionis Patrimonialis, vel ratione officii de pœna pecuniaria in corporalem commutanda sollicitus est: Eum, qui jura Majestatis habet, pœnæ pecuniariae civili lege constitutæ veniam rectè concedere credimus *a. l. f. C. de U. l. 1. §. 10. ff. de Posset, remittere possit?* Resp. Dist. *ful. l. 1. C. de Sent. pass. & rest. cum Princeps lege civili major sit, & de eadem liberum habeat dispensandi arbitrium.* ZIGL. *de Jure Maj. l. 1. c. 8.*

Qv. An Judex reo solvendo non existenti in vicem pœnæ pecuniariae ultimum supplicium irrogare queat? Resp. Neg.

Qv. An Magistratus sine offensi consensu pœnam pecuniariam, quæ ob rei inopiam in corporalem convertenda esset, remittere possit? Resp. Dist.

c. 8. th. 2. BARTOL. in l. 2. C. de Prec. imper. offer. n. 3. DANIEL MOLLER.
Semestr. l. 3. c. 31. pr. ANTON MATTH. de Crim. l. 48. t. 19. c. 5. n. 2.
HEIG. P. 2. q. 22. n. 7. JUL. CLAR. Sent. lib. 5. §. f. qv. 95. n. 2. nisi
eadem poena pecuniaria privato sit applicanda, cui jus quæsitum ipsam
poenam exigendi vel conversionem in poenam corporalem postulan-
di, neutiquam salva æquitate à Principe adimi potest a. l. 62. ff. de
Pact. l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. l. 4 ff. de Natal. rest. l.
fin. C. Si contra jus vel utilit. FERDIN. VASQV. Contr. l. 1. c. 15. n. 1.
Gloß. L. R. lib. 3. a. 32. lit. b. Unde Elector Saxonie Augustus, vivæ
memoriæ, teste MOLLERO d. c. 31. n. 1. cum cuidam ad intercessionem
aliorum poenam mortis remisisset, jus viduæ hæredisque interemti
se remittere nec posse nec velle, rescripsit. Quod si tamen Reipubl.
salus etiam illius juris, quod privato quæsitum est, remissionem im-
peret, eandem in Principis arbitrio constitutam esse existimabimus,
quia tum publicæ salutis cura privatæ utilitati præferenda, & extra-
ordinariis Reipubl. morbis extraordinariis remediis consulendum est.
a. l. 10. C. de Fer. l. 14. C. de Oper. publ. l. 2. §. 16. ff. Ne quid in loco publ.
2. F. 52. JUL. CLAR. Sent. lib 5. §. f. q. 95. n. 3. DECIUS CONS. 520. n. 5.
GAIL. l. 2. Obs 56. n. 4. eò tamen casu pro circumstantiarum ratio-
ne ab ipsa Reipubl. parti satisfieri æquum est a l. 13. §. 1. ff. Comm.
Præd. FERD. VASQV. d. l. n. 11. Cæterum Magistratus, qui patrimo-
nialem vel ratione officii competentem jurisdictionem habet, non
libero dispensandi, sed per leges limitato mitigandi vel remittendi
poenam arbitrio gaudet, neque ad poenæ hujus pecuniariæ remissio-
nem sine causa justa & in æquitate naturali fundata pervenire potest,
quandoquidem is ad legum civilium normam adstrictus est l. 15. ff.
ad Munic. l. 8. §. f. C. ad L. Jul. de vi publ. L. 3. C. Ne sanct. baptism.
iter l. 1. §. 4. ff. ad SCT. Turpill. VASQV. c. l. n. 12. & ex æquitate non
tam remissionem dare quam legem scriptam justè applicare atque in-
terpretari potest. a. l. 11. l. 13. ff. de Pæn. l. 27. ff. de Pæn. l. 5. §. 2. ff.
de Pæn. l. 51. §. 2. ff. ad L. Jul. l. 13. §. 7. ff. de his qui not. inf. Moven-
te igitur justa delicti circumstantia ead. poena, quatenus judicis utili-
tatem respicit a. l. 6. §. f. ff. de off. Pras. non vero in partis præjudi-
cium, vel remitti potest vel minui d. l. 6. §. f. DIDAC. COVARRUV.
var. Resol. L. 2. c. 9. n. 8. HART. PIST. O. 165. n. 11. vel in poenam cor-
poris afflictivam pecuniaria leviolem converti. vid. CARPZ. Pr. Cr.
qv. 150.

qv. 150. n. 79. 81. 90. DAMHOUD. Prax. Crim. c. 147. jung. Resol. grav. de Anno 1653. 57. tit. von Justit. Saehen. grav. 59. Z. GL. de Jure Maj. l. 1. c. 8. th. 15.

Th. XI. Sexto quæritur, An Magistratus, pœna pecuniaria per Sententiam jam dictata, ob deprehensam rei inopiam in pœna pecuniaria locum pœnam corporalem substituere possit? Quod affirmandum esse putamus cum BRUNNEMAN. in l. 6. §. 1. C. de mod. mult. num. 13. quamvis enim judex, posteaquam semel sententiam dixit, judex esse desinat, & amplius sententiam suam corrigere nequeat, l. 42. l. 55. ff. de Re jud. ibiq; BRUNNEM. COVARRUV. Var. Res. l. 2. c. 9. n. 8. & propterea in contrariam propemodum sententiam concedat BACH. in l. 6. §. f. ff. de Off. Præs. quem sequitur TAB. & BARBOS. Axiom. l. 14. c. 41. ax. 19. rectè tamen ad ea, quæ nobili judicis officio expediri queunt d. l. 55. non esse extendendam monet BARTOL. d. l. 55. n. 2. fac. a. l. 6. §. f. C. de mod. mult. præcipuè cum ipsa necessitas pœnæ commutationem imperet, quoties delinquens pœnæ à lege determinatæ est incapax. a. l. 2. C. ut in tra cert. temp. crim. qvæst. l. 51. §. f. ff. ad L. Aquil. id quod exemplis declarat JUL. CLAR. Sent. l. 5. §. f. qv. 85. n. 11. FERD. VASQV. Controv. l. 3. c. 96. num. 30.

Th. XII. Septimo in controversiam venit, An non à corporali pœna in locum pecuniariæ surroganda liberandus sit reus, qui una vel pluribus dilationibus concessis, vel operarum præstatione, se soluturum vel satisfacturum creditori promittit? Id quod rectè negari credimus: nam creditori delinquentis jus exigendi solidum quæsitum est, quod minori summa oblata invito auferri nequit l. 41. §. 1. ff. de Usur. BACH. V. 2. D. 20. th. 2. lit. b. FRANC. HOTOM. qv. illustr. 22. dilatione verò impetratâ tempore minus solvitur l. 12. §. 1. ff. de V. S. §. 33. f. de Act. Præterea particularis solutio non minima habet incommoda. l. 3. ff. fam. herc. & invito obtrudi nequit; operarum verò in pecuniæ locum substitutio naturam refert satisfactionis non solutionis, quæ satisfactio non nisi creditore volente liberat l. 6. §. 1. ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. cum aliud pro alio invito creditori non solvatur l. 2. §. 1. ff. de Reb. Cred. l. 16. C. de Solut. v. CARPL. P. 2. C. 22. D. 16. GROENEW. de LL. abrog. ad l. 6. §. f. ff. de off. Præs. n. 4. ubi præjud. Dissentire videtur COLERUS Decis. 134. n. 40. seqq. eo quod Subsidiarium hoc appelletur remedium, adeoque bonis ex stentibus vel solutione oblata adhiberi

Qv. An Magi-
stratus, Pœna
pecuniaria
per Sententiã
jam dictata,
ob deprehen-
sam rei inopi-
am in pœnæ
pecuniariæ
locum pœ-
nam corpora-
lem substitu-
ere possit?
Resp. Affir.
Objeãtio Dd.
ex L. 42. & 55.
ff. de Re jud.
Responsio.

Qv. An non à
corporali pœ-
na in locum
pecuniariæ
surroganda li-
berandus sit
Reus, qui unã
vel pluribus
dilationibus
concessis, vel
operarum
præstatione,
se soluturum
vel satisfactu-
rum promit-
tit? Repl.
Neg.

Objeãtio dis-
sentientis Co-
leri.

C non

Responſio non poſſit; ſed illi dubio facile ſatiſſiet, ſi Tergum Subſidiarium legitima demum ſolutione i. e. totali & paratâ pecuniæ debitæ præſtatione declinari dixeris. Interim ipſa æquitas deſiderabit ejuſmodi ſatiſſationem, cum quantitas valde exigua debetur, admitti, reoque modicum tempus ad ſolutionem faciendam arbitrio iudicis indulgeri *a. l. 105. ff. de ſolut. l. 21. §. 1. ff. de conſt. pec. j. l. 1. §. f. ff. de jure delib. BERL. P. 1. concl. 28. n. 44. CARPZ. P. 2. C. 22. D. 16. n. 10. 11. ubi præjud. MENOCH. de A. 7. Q. L. 2. caſ. 27. n. 5. JACOB. CONCENAT. Qu. Jur. Sing. l. 1. qu. 3. num. 13.*

Subjectum
Tergi Subſidi-
arii ſunt ho-
mines noxii
pauperes.

Th. XIII. A Tergi Subſidiarii Cauſâ Proxima convertimur ad illius SUBJECTUM, quod conſtituunt homines noxii pauperes, ſeu eâ patrimonii anguſtiâ laborantes ut pœnam pecuniariam præſtare non poſſint *l. f. ff. de in jus voc. l. 6. §. f. C. de Mod. mult. Germanis Die Bluta armen i. e. non habentes quo ſanguinem ſuum redimant. HILLIG. ad Donel. l. 23. c. 7. lit. d. p. m. 1033. Licet enim paupertas onus & miſerum & grave, imò Ætnâ gravius vulgò audiat & bonos quosvis ad commiſerationem, Principes vero juſtos ad ampliſſimam privilegioſum collationem commoverit, de quibus præter alios tractat BENINCAS. de Privil. Paup. qu. 4. ſeqq. SPECKH. Cent. 1. v. 37. neque ignotum ſit Juris Canonici Doctores (de Papicolarum præcipuè circa hanc regulam rigore Conf. TABO Racem. Crim. 1. th. 64. ANTON. GOMEZ. var. Ref. L. 3. c. 1. n. 85.) à regula juris: Peccatum non dimittitur niſi reſtituatur ablatum, etiam quoad conſcientiæ forum abſolvere eos, qui pœnitentiam ſeriam teſtati ablata reſtituere nequeunt *fac. c. 3. X. de fure. c. quamquam. X. de uſur. Covarruv. Rel. 1. in cap. peccatum. n. 2. ROLANDA VALLE conſ. 87. n. 42. 43. EVERHARD. SPECKH. cent. 1. qu. 37. n. 13. PETR. PECK. ad Reg. Jur. Canon. c. 4. de R. l. in brô. n. 7. delictis tamen & ſcleribus paupertas patrociniûm impetrare nec debuit nec potuit *l. 4. §. 1. & 2. ff. Quod cum eo qui in alien. pot. l. 18. §. 1. ff. de ſolut. Matrim. can. ne amiſſo cauſ. 23. qu. 4. quoniam fruſtra legis auxilium implo- rant, qui contra leges peccant *l. 37. §. 1. ff. de minor. nihilque impunitate gravius Rempublicam lædit, in quâ, ſi gregem pauperum, ex ipſa neceſſitatis & egeſtatis invitatione nihil non auſurum, extra pœnæ metum collocaveris, ſuſſum deorſum ferentur omnia, ipſaque leges à juſtitia commendatiſſimæ ludibriûm merebuntur, unde fit, quod pœnæ corporalis in pecuniariæ locum apud egenos ſurrogatio, ex ipſa neceſſita-****

cessitatis & æquitatis lege profecta in bene constitutis Rebuspubl. na-
tales vetustissimos novissimamque observantiam prodit P. 4. Const. El.
12. ibique Moller. n. 8. CARPZ. P. 4. Const. 11. d. 7. n. 6. & Prax. Cr. P.
1. qv. 34. n. 49. it. P. 3. qv 102. n. 55. MENOCH. L. 2. de A. I. Q. Cas.
147. n. 1. cum seqq.

Th. XIV. Quamvis autem variè Dd. omnino quis pro paupere
habendus sit exponant, idq; cum speciali lege vel statuto determinatum
non est, recte arbitrio iudicis ex regionum, personarum, causarum,
temporumque qualitate definiendum relinquunt a. l. 10 ff. de accusat. j.
l. 49. §. 5. C. de Episc. & cler. l. 1. §. 2. ff. de Jure delib. l. 32 ff. de usur.
P. CRAVETT. cons. 199. n. 8. BARTOL in l. si constante. ff. solut matr. n. 13.
seqq. JAS. in d. l. si constante. n. 147. seqq. EVERHARD. SPECKH. Cent. 1.
qv. 38. CARPZ. P. 3. Const. El. 13 d. 21. MYNS. Cent 4. obs. 97. n. 9. GAIL.
L. 1. O. 142. n. 7. MENOCH de A. I. Q. L. 2. cas. 65. n. 8. seqq. MA-
SCARD. in Tr. de Probat Concl. 1154. n. 8. MEV. P. 5. dec. 83. n. 5. nos ta-
men hic pauperem appellamus eum, qui pecuniam, in quam con-
demnatus est, solvere non potest l. 7. §. 3. ff. de jurid. l. f. ff. de in jus
voc. l. 9. ff. de incend. de qua paupertate ut constet excuti ejus bona tam
ante quam post sententiam possunt PAUL. DE CASTRO in l. si quis. ff. de
Jurisd. n. 9.

Quis hic pro
paupere ha-
bendus sit?

Th. XV. Quando autem pauperes in subsidium pœnæ pecu-
nariæ pœnæ corporis afflictivæ subjici asserimus, non minima inter
Dd. oritur contentio, An hac pœnæ surrogatio in solis vilibus & ignobi-
libus personis, an vero etiam in honoratis & nobilibus obrinet? Ita enim
BARTOL. in l. 1. §. f. ff. de Pœn. JASON. in §. pœnales. de Act. n. 44. EVER-
HARD. SPECKH. c. 1. qv. 40. n. 5. SCHNEIDWIN. d. §. Pœnales. n. 58. hanc
pœnæ pecuniariæ commutationem in corporalem ad servos aliasque
personas viles restringunt, contra GOMEZ. de Action. in §. Item si quis
n. 42. MENOCH. de A. I. Q. Lib. 2. c. 447. n. 13. hæsitabundus licet, it.
BOER. Decis. 349 n. 11. contendunt, personas nobiliores ab hâc pœnæ
pecuniariæ in corporalem conversione non esse eximendas, quorum tē
sententiæ nostrum quoque calculum adjicimus. Nam eadem impuni-
tatis evitandæ necessitas, quæ surrogationi pœnæ corporis afflictivæ in
locum pecuniariæ apud viliores ansam dedit, nobiliores impunes non
relinqui præcipit, qui honoris fructu delinquendo se indignos reddi-
derunt a. l. 12. C. de dignit. & à censu eorum, qui pœnam pecunia-

Qv. An hæc
pœnæ surro-
gatio in solis
vilibus & igno-
bilibus perso-
nis, an vero
etiam in ho-
noratis & no-
bilibus obri-
neat? Resp.
affirm. limitat.

prim



riam egentes eludunt in *l. 1. §. f. ff. de Pœn.* exclusi non sunt, præcipue cum huic opinioni manifeste satis suffragetur text. 2. *F. 53. §. 1.* qui in iudicibus majoribus i.e. magistratibus majoribus cum imperio & potestate talibus *a. l. 32. ff. de Injur. j. l. 2. ff. de in jus voc.* corporis coërcitionem cum verberibus, deficiente pecuniariâ pœnâ ob inopiam, permittit, nec non *l. 10. §. 2. ff. de Pœn.* quæ non tantum in plebejis, sed etiam in decurionibus (at Decurionatus dignitas est *l. 6. ff. de Decurion.*) pœnam corporalem in locum pecuniariæ substitui posse docet; Hinc deficiente nummaria præstatione Clericos carceris pœna affici tradit BOER. *c. l. it. MENOCH. n. 7.* de quorum dignitate & prærogativa vid. ZIGL. *ad Inst. Jur. Can. L. 4 t. 13. §. 3.* SCHILT. *Inst. Jur. Can. l. 1. t. 17. §. 16. seqq.* Eandemque pœnam in quæstoribus approbat *P. 4. Const. El. 41. ibique CARPZ. d. 4. it. Pr. Cr. qv. 85. n. 26. seqq.* imò in Ducibus, Comitibus, Marchionibus, Capitaneis eam non incognitam esse meminit JOH. ANTON. *in Comm. ad text. 2. F. 53. §. 1. n. 1.* Interim iudicis officio convenit, non eandem in omnibus delinquentibus, & in honestioribus non nisi lege exigente *a. l. 28. §. 2. ff. de Pœn.* pœnam corporis afflictivam graviolem decernere, sed studiose personarum dignitatem & inde nascentem graviolem ex pœna etiam leviolem dolorem perpendere, ne justa, quæ inter delictum & pœnam intercedere debet proportio violetur, *a. l. 11. l. 41. ff. de Pœn.* Unde plerumque in carceris pœna subsistet, nec ad fustigationem nisi rarissimè perveniet, ipsiusque carceris qualitatem & diurnitatem ex personæ conditione diligenter ponderata, definiet. *conf. CARPZ. Pr. Cr. P. 3. qv. 133. n. 46. TIRAQUELL. de pœn. caus. 31. n. 5.* Cæterum frustra laborant, qui thesin nostram restringunt ad solos eos, qui dolosè & scientes se non esse solvendo inopiæ fiducia deliquerunt: hanc enim pœnæ pecuniariæ in corporalem commutationem necessaria impunitatis evitatio, non solus delinquentium dolus imperat. *a. l. 9. ff. de incend. ruin. nauf. l. f. ff. de in jus voc.* BARTOL. *in l. 1. §. f. ff. de Pœn.* JUL. CLAR. *Sent. l. 5. §. f. qv. 95. n. 8.*

ATergoSubsidiario immunes sunt innocentes & hæredes defuncti

Th. XVI. Præterea dum in hominibus noxiis Tergum Subsidiarium suum sibi vindicare locum dicimus, à Tergo Subsidiario excludimus innocentes, & res delicti incapaces; Inter innocentes referimus hæredes defuncti, qui ex ejus delicto non tenentur, quia per mortem rei ipsum regulariter delictum extinguitur *l. 6. ff. de Publ. Jud. l. 2. l. 7. C.*

sevens

si reus vel accus. mort. l. 6. C. ad L. Jul. Maj. PHILIPP. Us Pr. Inst. l. 4. Eccl. 86. n. 14. CARPZ. Prax. Cr. qu. 131. n. 30. seqq. & Poena ulterius progredi non debet, quam reperitur delictum l. 22. C. de Poen. nam unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur: nec alieni criminis successor constituitur l. 26. ff. eod. quod vel maxime in Tergo Subsidiario corpus non nisi nocentis affligente asseritur. vid. Theod. Coll. Cr. Diss. 10. th. 3. lit. a.

Th. XVII. Sed quid de Fidejussoribus sentiemus, qui se reum gravioris cujusdam criminis iudicio sistere velle promittunt, neque tamen eum secundum conventionis legem sistunt, An non iisdem poena corporis afflictiva, si poena pecuniaria solvenda impares sint, imponi poterit? Non potest illis poena corporalis infligi, quandoquidem ex contractu debitores existunt, rei que principalis locum nec subierunt, nec per conventionem subire potuerunt, quoniam sua se conventionem nemo ad cruciatum corporis, cuius dominium non habet, obligare potest l. 13. ff. ad L. Aquil. & fidejussor huiusmodi vel conventæ vel arbitrio iudicis determinandæ pecuniariæ quantitatis ex contractu debitor est a. l. 4. ff. de cust. reor. vid. CARPZ. Pr. Cr. P. 3. qu. 112. n. 94. BARTOL. in d. l. 4. ff. n. 1. quem pro reo principali corporis supplicium pati valde iniquum foret, quandoquidem hac via nec reus emendatur, nec iis, quorum interest reum puniri, satisfit, nec in Republ. exemplum statuitur, quod alii à delinquendo deterreantur. Et quidem fidejussor hic vel ab initio solvendo non fuit, vel ex postfacto esse desiit, si ab initio, imputandū magistratui, qui minus idoneum fidejussorem admisit l. 10. §. 1. ff. de Satisd. a. l. 19. ff. de R. J. l. 203. ff. eod. Si ex postfacto, qui facultatibus citra dolum lapsus est, beneficio cessionis bonorum uti non prohibetur. l. 1. l. 4. C. Qui bon. ced. poss. N. O. Quod omnem obligationem pro contractu haberi velit Jctus in l. 20. ff. de Judic. atque inde homo, qui delinquendo suum corpus gravissimis cruciatibus exponere potest, ne quidem conventionem corpus, suum obligare prohibeatur; nam quod Paulus illic ad declarandam fori competentiam affert, in qua eadem est delicti & conventionis ratio a. l. 21. ff. de O. & A. j. l. 1. C. ubi de Crim. ad quoslibet effectus alios, in quibus dispar ratio apparet, frustra & contra legis mentem extenditur l. 17. ff. de ll. j. pr. J. de Obl. que ex del. nasc. omitto contractus vocabulum in d. l. 20. valde generaliter capi, ceu patet ex l. 1. l. 7. ff. de Pact. STRUV. S. J. C. Ex. 6. th. 29.

C 3

conf.

Qv. An Fidejussoribus poena corporis afflictiva, si poena pecuniaria solvenda impares sint, imponi possit? Resp. Neg.

Obiectio

Resolutio

prim

Limitatur.

conf. plur. ANTON. MATTH. *de crim.* l. 48. t. 14. c. 2 n. 14. BACH. *ad Tr.* V. 2. D. 28. th. 3. l. a. verb. *quandocunque* ARUM. *ad ff.* D. 23. th. 1. ANDR. LIPSK. c. 1. O. 15. num. 5. *seqq* WISENB. *ad ff.* P. 2. Disp. 27. th. 3. GROENW. *ad L.* 4. ff. *de custod. reor.* Dissent. videtur MENOCH. *de A. I. Q. l. 2. cas. 304. n. 1.* Quod si autem fidejussor dolo malo, cum sciret se non esse solvendo, animo colludendi cum reo fidejusserit, vel dolo non sistat eum, quem sistere posset, quin poena pecuniaria in corporalem, extraordinario hoc crimine urgente, converti possit, non esse ambigendum existimamus *a. d. l. 4. ff. de custod. reor. ibique Bartol. n. 1. Brunnem. ad d. l. 4. n. 3.* THEOD. *Coll. Cr. Disp.* 4. th. 13. l. b. Caeterum alia est illius, qui pro debito incarceratum eximit, conditio: is enim pari quasi lege in locum dimissi surrogatur, ac proinde cum solvendo non est, corporaliter coerceri potest: hanc enim poenam delictum exemptionis meretur *a. l. 3. C. de Exact. trib. l. un. C. de Colon. Illyr. jung. O. C. a. 180. vid. Gomes. ad §. 12. I. de act. n. 49. JASON. ad d. §. 12. de Act. n. 102. PHILIPP. us. Pr. I l. 4. Eccl. 19.*

Cessat Tergū
Subsidiarium
in rebus inanimatis.

Th. XVIII. Delicti incapaces sunt res inanimatae, ut & bruta: Inter inanimatas referuntur cadavera defunctorum, in quae regulariter animadvertendum non est propterea, quod defuncto eò, qui reus fuit criminis, ipsa poena extincta est *l. 6. ff. de Publ. jud.* & corpus inanimatum omnis sensus expers poena afficiente sensum frustra coercetur. ANTON. GOMEZ. *Var. Resol. Tom. 3. c. 1. n. 78.* nisi criminis commissi frequentia & atrocitas aliquod poenae simulacrum desideret in terrorem aliorum *a. l. 28. §. 15. ff. de Poen. l. 1. ff. de Cadav. punit. ubi vid. BRUNNEM. it. HEIG. P. 2. qv. 37. n. 32. seqq.* undè fures hodiè in patibulo, latrones in rota relinqui solent. &c. Sed ad hunc animadvertendi modum in subsidium ob non solutam poenam pecuniariam haut esse, citra legis dispositionem, perveniendum, nemo non videt, qui in delictis valdè atrocibus ad eum poenae rigorem saltem perveniri cernit. CARPZ. *Pr. Cr. qv. 131. n. 42.* Multo minus in aedes, statuas similesque res inanimatas Tergum Subsidiarium statui asseverabimus: hujusmodi enim res non in alium finem dirantur, quam ut vel scandali memoria aboleatur odiique vestigium in rebus, in quibus & per quas delictum perpetratum, extet, vel ipsa ruina in criminibus atrocissimis de scelestissimo sui quodam possessoris facinore praetereuntes commoneat ostendatque divini humanique juris contemptorem ad infelicem luce indignissimi

mi rei memoriam apud posteros refricandam, saxa, lapides &c. provocasse, viatores spectatoresque omnes sub dira paris supplicii comminatione à nefandis hujusmodi ausibus deterrituros HUNN. *Coll. Crim. Disp. 6. §. 28.* THEOD. *Coll. Cr. D. 10. hb. 3. lit. b.* CARPZ. *Pr. Cr. qv. 138. n. 14.* PETR. HEIG. *P. 2. qv. 37. n. 4.*

Th. XIX. Bruta etiam, quæ non intellectu, sed naturali impetu item in Brütis feruntur, à Tergo Subsidiario excludimus. Equidem PLINIUS *l. 8. c. 16.* scribit, visos esse leones, à quibus urbes obsessæ in Africa crucifixos, DANIEL. MOLLER, *Semestr. l. 3. c. 7. n. 6.* jumentum, cui in atroci raptus crimine rapta imposita erat, occisum esse, commemorat, porcum verò suspensum esse, qui puerum occiderat, recenset JUL. CLAR. *Sent. lib. 5. §. f. qv. 99. n. 8.* at cum animalia hæc destituantur ratione, & in eadem nulla injuria nullumque jus cadat *l. 1. §. 3. ff. Si quadrup. paup.* facile constat bruta hæc non propter reatum puniri, sed oculis hominum & conspectui subduci, ne contaminata nefario flagitio turpissimi facti memoriam refricent mortalibus *c. mulier. c. 15. qv. 1.* utque tam gravi in se animadversione doceant homines, quam horrenda sint scelera, propter quæ sanctissimum judicis officium etiam in animalibus ratione destitutis vindictæ vestigium apparere voluit. *vid. O. C. 2. 116.* CARPZ. *Pr. Cr. qv. 131. n. 16.* Et hæc rationis generalitas facit, quo minus assentiamur JUL. CLAR. *cl. illam in bruta animadversionem ad solum crimen Sodomiae restringenti, ceu recte animadvertit ANTON. MATTH, de Crim. in Prol. c. 2. n. 4.*

CAP. III.

De

OBJECTO TERGI SUBSIDIARIII GENERALI ET SPECIALI.

Th. I.

Hactenus de Subjecto Tergi Subsidiarii tractatum jam ordinis ratio ad OBJECTUM deducit, de quo primo generaliter, secundo specialiter, facta scilicet ejusdem ad varias delictorum species applicatione agendum erit. Cum vero eidem sine dubio in delictis locus relinqvatur, quorum necessaria coercitio huic poenæ surrogationi

Tergi Subsidiarii Objectum generale sunt delicta,

ansam

ansam dedit, sive hæc delicta dolo, sive culpa lata aut levi commissa sint *a. l. 9. ff. de incend. ruin. naufr. l. 28. §. 12. ff. de Pæn. BARTOL. in l. 1. ff. de off. Præs. vig. n. 5. CARPZ. Pr. Cr. qu. 39. n. 48. seqq.* investigandum est, *An Tergum Subsidiarium non tantum in levioribus, sed etiam gravi-* oribus delictis obtineat? Quod omnino affirmandum esse putamus; *Equidem graviore delicto commisso acerbior solet quam pecuniaria* poena imponi *a. l. 2. ff. de Publ. Jud. at quoniam per dispensationem,* Principis poena mortis naturalis, vel alia gravior animadversio non raro in pecuniariam præstationem convertitur *a. l. f. C. de LL. CARPZ. Pr. Cr. qu. 150. n. 56. GROENEW. de LL. abr. ad L. 6. §. f. ff. de off. Præs. n. 4.* quo minus eadem in corporis afflictionem ob rei inopiam transmutetur nihil impedit: eam enim tum rarissime citra enormis facilitatis notam remitti facillime videt, qui plenissimam impunitatem Reipubl. valde noxiam esse animadvertit *CARPZ. d. l. n. 81. id. qu. 34. n. 49. MOLLER. ad P. 4. C. El. 12. n. 8.*

Th. II. Quod de poena pecuniaria in delictis in poenam corporalem commutanda assertum est summa, quod mireris, cum fiducia *Dd. vulgo ad poenam ordinariam restringunt, nec obtinere existimant,* quando iudex ex arbitrio suo reis multam dictavit, cui solvendæ rei non sufficiunt, ducti autem vel potius seducti sunt hi *Dd. Responso ULPIANI in l. 6 §. f. ff. de off. Præs. ceu videre licet apud BARTOL. in d. l. 6. §. f. n. 2. l. c. COSTAL. ibid. n. 14. EVERHARD SPECKH. Cent. 1. qu. 40. n. 9. JASON in §. Pænales. de action. n. 49. SCHNEIDW. in d. §. n. 61. TAB. ET BARBOS. Ax. l. 10. c. 31. ax. 1. n. 5. Rectius enim d. l. 6. §. f. ANTON. MATTH. de Crim. l. 48. T. 3. c. 3. num. 6. Et JULIUS CLARUS Sent. l. 5. §. f. qu. 95. n. 8. de potestate Præsidis remittendi vel minuendi poenam pecuniariam non de necessitate intelligunt, cui sententiæ in terminis, ut loquuntur, calculum suum adjicere videtur MENOCH. de A. J. Q. l. 2. cas. 447. n. 9. nec non CARPZ. Pr. Cr. qu. 130. num. 4.* Nam licet in potestate iudicis situm sit, quantam dictare velit multam, eamque magistratus æquitate motus vel minuere vel remittere possit, cum lege certa quantitas illius expressa non est *l. 224 ff. de V. S. non tamen inde inferri potest impunem relinquendum esse reum, qui pecuniariam poenam egens eludit: hoc enim neque legis dispositio a. l. 11. ff. de Pæn. l. 1. §. f. ff. eod. patitur, neque publica utilitas permittit, quæ perpetua impunitate præcipue eorum, quos vitæ vilitas & egestas ad de-* lin-

linquendum invitatur, gravissimè labefactatur *a. l. 51. §. f. ff. ad L. Aquil.*
l. 6. §. f. C. de Mod. mult.

Th. III. Sicuti verò Dd. plerosque in superiori quæstione legibus esse mitiores ostendimus, ita nonnullos rigori nimis addictos esse deprehendimus, dum vel in levissimis delictis reos vel in minimo saltem nummo solvendo non existentes in corpus coërceri posse, affirmant MENO CH. *de A. J. Q. l. 2. cas. 447. n. 8.* JUL. CLAR. *Sent. lib. 5. §. f. q. 95. n. 6.* GOMES. *in §. Pœnales. de Act. n. 19.* quam sententiam iniquitatis accusat GOTTHOFRED. *ad l. 4. C. de Serv. fug. lit. g.* BOER. *Decis. 349. n. 8.* JASON. *ad §. Pœnales de action. n. 50.* GROENEVV. *d. ll. abrog. in l. 1. §. f. ff. de Pœn.* EVERHARD. SPECKH. *Cent. 1. qv. 40. n. 8.* quandoquidem in levioribus causis proniores ad lenitatem quam severitatem iudices esse debent, docente MARCIANO *in l. 11. ff. de Pœn.* Quemadmodum prætor ob rem minimam extraordinarium restitutionis remedium denegat *l. 4. ff. de in integ. rest. l. 10. 11. ff. de dol. mal.* vid. BARTOL. *in d. l. 4. ff. de in integ. rest.* BACHOV. *ad wqwt. p. m. 946.* ita videri absurdum non potest, si iudex ob minimum delictum vel unius nummi residuum ad hanc extraordinariam corporis coërcitionem non perveniat *a. c. 9. X. de Pœn. l. 6. §. f. ff. de Off. Pres.* pœnas enim interpretatione mitigari convenit *l. 32. ff. de Pœn. j. c. odia de R. 7. in 6to.* Quod si tamen delinquentium multitudo, vel alia concurrens circumstantia delictum aliàs levissimum aggravet, idem à numero levissimorum delictorum esse eximendum putamus *a. l. 6. §. 1. l. 16. §. f. l. 28. §. 3. ff. de Pœn. Confer. BENDER. de Revision. Concl. 8. n. 28. 29.*

Th. IV. *An non autem in contractibus, debitore solvendo non existente, ad pœnam corporis afflictivam in locum solutionis substituendam perveniri poterit?* Negandum hoc esse existimamus cum BRUNNEM. *in l. 7. ff. de Jurisd. n. 3.* BOER. *Decis. 349. n. 8.* SCHNEIDVV. *ad §. Pœnales. 7. de Act. n. 57.* JASON *ad d. §. n. 43.* AUGUST. BARBOS. *Axiom. l. 14. c. 41. ax. 19. n. 1.* Sola solvendi impotentia, cum plerumque à casibus fortuitis dependeat, actionem creditori competentem inanem reddit *l. 6. ff. de dol. mal.* non magistratui jus ad pœnam corporalem transeundi tribuit, ne is, qui nec dolo, nec culpa deliquit, pœnam sentiat *a. l. 22. C. de Pœn.* (2.) Publicò jure concessum est debitoribus ex contractu beneficium cessionis *l. 1. l. 4. C. qui bon. sed. poss.* quò liberrimè utentes carcerem effugiunt, multoque magis

D

gravio-

Limitatur v.
in delictis levissimis a. cum quis in minimo nummo solvendo cessat.

Limitatur 2. in Contractibus.

graviores in corpus adinadversiones, cui beneficio ne quidem ab hisce debitoribus renunciari posse, non sine ratione visum. *a. l. 6. ff. de Appell. l. 71. §. 2. ff. de Condict. & demonst. l. 14. §. 1. ff. Solut. Matr.* ANTON. PEREZ. *ad C. t. qui bon. ced. poss. n. 20.* BRUNNEM. *inl. 2. C. qui bon. ced. poss. n. 8.* COVARRUV. *Var. Resol. l. 2. c. 1. n. 7. verb. Tertio.* BACHOV. *Vol. 2. D. 24. th. 4. lit. e. Diss.* HILLIG. *ad DONELL. l. 27. c. 9. lit. z.* Quodsi verò occasione contractus adhibita culpa vel dolus impunitus relinquendus non sit, ad extraordinariam hanc Tergo Subsidiarii poenam aliquando urgentibus circumstantiis perveniri posse arbitramur. *l. f. §. f. ff. quæ in fraud. Cred. l. 24. §. 3. ff. de Minor. l. 9. §. 4. ff. de Dol. mal.* HEIG. *P. 1. qv. 35. n. 59. seqq. & præc.* LUDOV. GOMEZ. *ad §. Item si quis. 7. de Act. n. 42.*

Objectum
Speciale con-
stituit ex deli-
ctis privatis
ordinariis
1. Furtum
commune

Th. V. Absolutò Tergo Subsidiarii Objectò generali, superest, ut ad OBJECTUM SPECIALE convertamur, & species delictorum potissimas atque notissimas, in quibus Tergum Subsidiarium locum habet, perlustremus; quod ut suo ordine fiat, primò delicta privata tam ordinaria, quam extraordinaria spectabimus, deinde ad crimina publica progrediemur. (1.) Deprehendimus autem Tergo Subsidiarii usum in privatis ordinariisque delictis & primò quidem in furto (quod an hodie privatum an verò publicum crimen sit hujus loci non est excutere, *vid. CLUDIUS Tr. de cond. furt. c. 51. n. 27.*) Postquam enim in *ord. Cr. Carol. a. 157.* furtum primum simplex, exiguum, nec manifestum dupli poenam mereri, furtumque illud manifestum pro delinquentis conditione ob spem emendationis quadrupli poena coerceri traditum est, fures ob inopiam in hujus poenæ præstatione deficientes carceris poena esse afficiendos subjicitur, ne impunes abeant egentes ipsa egestate audaciores facti HAHN. *ad WESENB. tit. de furt. n. 15.* HUNN. *Col. Cr. Diss. 1. §. 56.* BLUMENLACH. *ad Ord. Cr. a. 157. n. 4.* TABOR *ad art. dict. num. 25. seqq.* MATTH. STEPH. *d. l. quæ furti poena ad eos, qui pisces ex aquis inclusis subtrahunt per a. l. 3. §. 14. ff. de A. vel A. P. & art. 169. O. C. extensa, Jure Saxon, quoque frequentatur Const. El. Nov. 8. §. So viel aber zc. COLER. P. 1. Decis. 148. n. 5. BERL. Part. 5. Concl. 51. n. 15. CARPZ. Pr. Cr. qu. 84. n. 79.*

2. Officialium
res concedi-
tas subtrahen-
sum,

(2.) Ad furti crimen proximè accedit delictum Quæstorum, Prætorum, Ædilium, Publicanorum, Forestariorum, Molitorum aliorumque

rumque officialium, qui rem aut pecuniam sibi creditam dolo malo, & in fraudem domini in proprios usus convertunt, quibus, si subtracta quantitas quinquaginta florenos non excedit iidemque duplo solvendo impares sunt, poena vel carceris vel temporalis exilii dicitur in edicto de d. 10. Octobr. Anno 1584. ab Electore Augusto v. m. promulgato & d. 26. Jun. Anno 1587. ab illustrissimo Electore Christiano I. felicis recordationis, repetito ac confirmato v. CARPZ. Pr. Cr. P. 2. qv. 85. n. 27. seqq. & P. 4. Const. El. 41. d. 4. 5. MOLLER. ad d. Const. 41. n. 3. VIRGIL. PINGIZER. qv. Sax. 47. Magnif. Dn. STRUV. in Diss. de Reliquis §. 18. j. MEV. ad Jus Lubec. L. 3. tit. 8. a. 10. vid. Prajudic. post Weichb. rubr. Wie ein Ehemann etc.

Th. VI. Furtum excipit damnum, cui affinis est furtiva arborum caesio ab ipso furto distincta l. 1. l. 7. §. 1. l. 8. §. 2. ff. arb. furt. caes. HAHN. ad WESENB. h. t. n. 5. STEPH. ad ord. Cr. a. 168. TABOR. racem. crim. ad d. 1. th. 1. de qua omittendum non est ex Jure Saxon: quod is qui arbores fructiferas, veluti quercus, fagos, pomos, pyros &c. inutiles caedendo, subsecando &c. reddit, praeter aestimationem illarum pro unaquaque 30. solidos i. e. duas Sexagenas antiquas multae nomine domino solvit, aut si in aere non habet unde solvat, carceris vel simili poena afficitur per P. 2. Const. El. 37. j. §. R. L. 2. a. 28. MOLLER. ad d. Const. El. 37. n. 7. CARPZ. Pr. Cr. qv. 83. n. 19. & 20. ubi Prajudic. MEV. ad Jus Lubec. Lib. 4. t. 4. art. 11. n. 6.

Th. VII. A Damno progredimur ad Injuriam, cujus nomine in actione injuriarum aestimatoria ad pecuniariae quantitatis solutionem condemnatus, si solvendo non est, corporali poena affici potest a. l. 35. ff. de Injur. ibique BRUNNEM. & GOTHOFRED. lit. c. cui sententiae suffragatur evitanda delicti tam frequentis impunitas a. l. 1. §. f. ff. de Paen. l. 51. ff. ad L. Aquil. l. f. ff. de in jus voc. Conf. HUNN. ad Treut. Vol. 3. disp. 30. th. 6. qv. 45. Conf. SCHNEIDW. comm. Inst. ad §. 7. de Injur. n. 7. COVARRUV. Var. Ref. L. 2. tom. 2. c. 1. n. 8. BOER. Decis. 349. n. 8. BERL. P. 5. Concl. 61. n. 87. & 89. FARIN. P. 3. Oper. Crim. q. 105. n. 52. CARPZ. Pr. Cr. P. 2. Q. 92. n. 18. Exemplum nobis suppeditat Ord. Cr. art. 215. 216. Exemplum & 217. ubi injuriantes fabros murarios vel lignarios ob susceptam re-primam, staurationem vel aedificationem patibuli, quando multam marcae auri solvere non possunt, carceris poena afficiuntur. jung. BLUMENLACH. in Comm. ad art. 216. n. 1. MEV. ad Jus Lubec. L. 1. t. 4. a. 3. n. 23. BENDER.

D 2

de

Furtiva arborum caesio.

Injuria.

primam.

Secundum

de Revision. Concl. 8. n. 27. Cæterum in Statutis Lubecensibus is, qui per injuriam realem vel tundendo, vel vulnerando alteri os frangit vel lædit, tam judici, quam parti læsæ, satisfacere tenetur, & si in ære non habet, in carcerem conjectus per decem hebdomades pane & aqua pascitur, posteaque relegatur, ceu docet *Stat. Lubec. l. 4. t. 4. art. 11.*

Tertium

ubi vid. MEV. n. 5. Pariter vir, qui virginem vel uxorem diffamat & accusat falso de concubitu & promisso matrimonio, convictus 80. Marcas Lubecenses solvit, & si in ære non habet, in carcerem detrusus inque eo per Semestre spacium pane & aquâ cibatus relegatur. Eadem pœna in foeminam virum diffamantem statuitur *Stat. Lubec. L. 1. t. 4. a. 3. j. cas. a. 4. & MEV. in d. a. 3. n. 23.* de Jure Saxon. *vid. Præjudic. post Weichb. rubr. Wie die Injurien/ so dem Richter etc.*

Ex delictis Extraordinariis.
(1. Albi Prætoris dolosa corruptio,

Th. VIII. Ab ordinariis privatisque delictis ad Extraordinaria convertimur: quo refertur (1.) Albi Prætorii dolosa corruptio. THEODOR. *Coll. Cr. Diss. 3. tb. 1.* in qua ob pœnæ pecuniariæ defectum corporis coërcitionem invenire locum testis est *l. 7. pr. & §. 4. ff. de Jurisd.* MENOCH. *de A. I. Q. 2. Cas. 447. n. 2.* id quod utiliter extendunt ad eos, qui à Principibus vel Magistratibus in solenni loco affixa vel in solidum vel pro parte lacerant. Conf. MEIER. *C. I. A. t. de Jurisd. th. 50.* imagines & nomina eorum, quæ ad infamiam in patibulis aliisque locis publicis collocata sunt, abradunt vel auferunt SCHNEIDEW. *in Comm. Inst. de Action. §. Pœnales n. 22.* ceram ab Edictis Principum, valvis templorum portarumve affixis, tollunt. *Magnif. Dn. STRYCK. diss. de Cerâ rubr. c. 1. jung. Consultiss. Dn. Doct. THOMASIIUS in Dissert. de Jure circa Colores: c. 5. §. 127.* aut acta publica vel alios libros in archivis depositos corrumpunt. JASON. *ad d. §. Pœnales. 7. de act. n. 12 13.*

(2.) Malitia & temerè litigantium,

(2.) Eodem pertinet Malitia temerè litigantium *a c. 5. X. de dol. & Contum.* quibus ob æris defectum pœnam corporis afflictivam irrogari posse putamus cum JAC. SCHULTES *in Addit. ad Coler. Decis. 131. n. 5.* MARTIN. *Com. for. ad Ord. Process. Sax. Tit. 36. §. 1. n. 56. ubi præjudicium.* Item frivolam revisionem petentes *per Recess. Imper. de Anno 1654. §. Damit dann auch etc.* cum pœnam pecuniariam solvere nequeunt, pœna corporali arbitrariâ afficiendi sunt. *vid. BENDER. de Revisionib. Conclus. 8. n. 28. 29.* Non minus in subsidium frivole Leuterantes coërcentur secundum *Ord. Cur. Prov. Witteb. rubr. von der Leuterung. §. und nach dem. verb. umb eine Geld, Buss, oder wo er die*

Leuterantiū

die nicht vermag/ am Leibe soll gestrafft werden/ zur Verhütung des
muthwilligen Zancks. Conf. CARPZ. P. 1. C. 20. d. 29. Pari modo jux- Appellantia.
ta privilegium Civitatis Lipsiensis affliguntur, qui pœnæ pecuniariæ,
si frivole appellatum fuerit, solvendæ impares sunt, *ceu docent hæc
privilegii verba*: So es aber gar arme und unvermögene Leute be-
triffi/ so die angelegte Geld/ Straffe nicht zu bezahlen hätten/ die sollen
an statt derselben/ nach Befindung auff etliche Tage oder Wochen mit
Behorsam oder Gefängniß gestrafft werden. jung. SPRENGER. in
Compend. Juris cam. §. appellantibus temerè.

(3.) Neque aliud de iis sentiendum, qui ob contumaciam in
expensas condemnati solvendo non sunt: eos enim ob æris defectum ^{Contumacia}
corporis afflictivam pœnam sustinere necesse est ^{in expensas}
*a. l. f. ff. de in jus condemnato-
voc. a. c. 5. X. de dol. & contum. MENOCH. de A. J. Q. L. 2. cas. 447. n. 4. ^{rum.}
THEODOR. Coll. crim. Disp. 10. tb. 5. lit. a. jung. CARPZ. Pr. Cr. qv. 34.
n. 48. BENDER. de Revision. Concl. 8. n. 18. seqq. Jure Saxon. in Ord.
Provinc. de Anno 1555. rubr. Consistoria. §. Würde sich aber 2c. Spe-
cialiter cautum est, ut ad emissam Consistorii citationem desidera-
tamvè sententiæ latæ executionem contumaces 100. florenos mulctæ
nomine solverent, & egestate laborantes carcere plecterentur.*

(4.) Extraordinarii privatiq; delicti reos esse putamus debito ^{Prodiga bono}
res Decoctores, qui cum æs contractum gravissimo cum creditorum ^{rum decoctio}
detrimento, non casu fortuito sed dilapidatione suâ ad incitas reda- ^{in Creditorū}
cti, solvere nequeunt, pœna corporali in subsidium meritò afficiuntur. ^{præjudicium.}
a. l. f. ff. Quæ in fraud. Cred. GOMES. Comm. 7. tit. de action. ad J.
Item si quis. num. 42. JASON. ad § f. 7. de act. n. 13. JUL. CLAR.
Sent. l. 5. §. f. qv. 95. n. 5. ECKOLD. Comp. Pandect. tit. de Cession. bon.
ibique Magnif. SCHWENDENDÖRFF. n. 5. Jure Saxon. Electorali deco-
ctores in carcerem publicum in den Schuld, Thurm conjiciuntur. vid.
P. 2. C. El. 22. Philippi Us. Pract. Inst. l. 1. Eccl. 35. CARPZ. Asyl. debit. ad
incit. red. Pos. 43. n. 173. Resolut. Gravam. de Anno 1653. 57. tit. von
Justiz-Sachen. §. damit auch zum Siebenden. HUNN. ad Treutl. vol.
3. Disp. 24. tb. 4. lit. i. qv. 34. Jure communi Sax. in usu est addictio
ad manum creditoris L. R. l. 3. a. 39. SEHNEDW. ad. §. f. Inst. de Act.
n. 18. BERL. P. 2. Concl. 28. n. 14. HEIG. P. 1. qv. 38. ZANG. de Except.
P. 2. c. 15. n. 15. MEV. ad Jus Lubec. l. 1. t. 3. a. 1. n. 7. seqq.

Illicitæ venationis vel aucupii suspensio.

(5.) Jure Saxonico Electorali tempore prohibito aucupium vel venationem exercentes, quoties poenam 100. modiorum avenæ vel respectivè 50. aureorum solvere nequeunt, in poenam corporis afflictivam arbitrariam incidunt per *Mand. Elect. de Anno 1626. d. 24. Feb. §. und begehren. j. Ord. Provinc. rubr. Vogel fahen. §. es soll auch etc.* Et hoc quod dictum est de aucupibus ac venatoribus obtinet etiam in piscatoribus paupertate pressis, qui contra *Ordinat. Prov. incidentibus annis aridioribus rivulos effundunt, vel retibus prohibitis utuntur, vid. Ord. Prov. Ernestino-Albertina rubr. Fische-Ordnung. §. Welcher Unterthaner etc. verb. der soll umb 50. fl. so oft solches geschicht/oder in Mangel des Vermögens mit einem Monatlichen Gefängniß gestraffet werden.*

Sponsalium inter personas prohibitas constitutio.

(6.) Personæ quæ in gradibus prohibitis sponsalia inierunt non impetrata dispensatione, quando ob illicitum factum dictata multa ex earundem facultatibus redigi nequit, carceris poena in subsidium acciunfitur docente *CARPZ. Jurispr. Consist. l. 2. d. 129.*

Infante nato illicita convivorum constitutio.

(7.) Hospites activi, qui profusiores sumtus quam lex permittit in convivia ob infantum nativitatem instituta faciunt, vel eadem contra sanctionem repetunt, item convivæ qui convivia hæc diutius, quàm constitutio patitur, frequentant, Jure Saxonico multam solvant, & si facultates deficient carcere debitum luant, necesse est juxta tenorem *Ord. Polit. de Anno 1661. Tit. 17. von Rindtauffen §. 3. verb. bey dem von Adel umb 50. bey Bürger Stand nach Gelegenheit 40. 30. oder 20. Ehlr. die Bauern aber umb 5. Ehlr. wie auch die Gäste/ wenn sie vom Adel umb 20. Ehlr. Bürger Stand 10. und bey den Bauern umb 2. Ehlr. bestraffet und diejenigen so solche Straffe mit Gelde nicht abzustatten vermögen/ 8. oder 10. Tage mit Gefängniß nach Gelegenheit belegt werden.*

Tutoris in fœneranda pecunia pupillari &c. contumacia.

(8.) Tutor ob fœnus pupillaris pecuniæ per contumaciam non exercitum, aut fundorum omissam comparationem, si non ad damnum resarciendum idoneus est, extra ordinem (i.e. corporaliter) coercetur, secundum verba *PAULI in l. 49. ff. de admin. tut. ubi GOTHOFR. lit. f. it. BARTOLUS. id quod ne quidem jure Novellarum eo casu, quo fœnerandi vel immobilia comparandi necessitas per N. 72. c. 6. 7. 8. remissa non est, mutatum esse existimamus. Conf. HARTM. PISTOR. l. 1. qu. 49. n. 24. seqq. HILLIG. ad Donell. l. 15. c. 19. lit. i.*

(9.) Ju-

(9.) Jure SAXON. ludis fortunæ mixtisque contra *Ordinat. Polit.* Ludus prohibitus.
de Anno 1661. T. 8. §. 1. 2. inhærentes eosdemve in adibus suis permit-
tentes, singulis vicibus decem thaleros pœnæ loco solvunt, egentesque
octo pluriumve dierum carcere puniuntur *d. O. P. §. 3. CARPZ. Pr. Cr.*
qu. 131. n. 19 BERL. P. 1. Decis. 66. n. 11.

(10.) Secundum *Statut. Lubec. l. 4. Tit. 16. a. 1.* vigil noctur-
nus, quando in facto illicito deprehensus munere dato dimittit, ne
causa ad judicem deferatur, senatui decem thaleros & sex vini metre-
tas solvit, solvendoque non existens carcere annuo plectitur, postea
que relegatur *MEV. ad Jus Lubec. c. l. n. 9.* Vigilis nocturni corruptio.

(11.) Famuli famulæve acceptâ mercede aufugientes, *Statut. Lubec.* Famuli famulæve fuga.
Lubec. mercedem domino reddere tenentur, cum eandem reddere ne-
queunt, carceri mancipati mancipatæve per 14. dies pane & aqua pa-
scuntur *Stat. Lubec. l. 3. t. 8. a. 9. ibique MEVIUS.* Jure Saxonico autem
in ord. Provinc. rubr. Keyfige Knechte und die Dienstboten belan-
gende. §. der Dienstboten. dispositum est, ut profugos hujusmodi
famulos aliosque pigritiæ deditos hospitio excipientes ob æris defe-
ctum corporis afflictivam pœnam sustineant *per verb. Der soll von sei-*
ner Obrigkeit am Guthe/ oder wo ers nicht vermöchte am Leibe un-
nachlässlich gestraffet werden.

(12.) Prætextu debiti sepulturam debitoris impediens quin-
quaginta libras auri dependere, vel si minus idonei ad eas persolvendas
sint, suo corpore pœnam lueri voluit Imperator JUSTINUS *in l. 6. C. de*
Sepulchr. viol. THEOD. Coll. Cr. Disp. 3. th. 10. lit. b. MENOCH. de A. I.
Q. Cas. 387. n. 19. quam pœnam per graviolem *in N. 60. c. 1.* constitu-
tam absorberi putat BRUNNEM. *in l. 6. C. de Sepulchr. viol. n. 3.* Impedita debitoris prætextu debiti Sepultura.

(13.) Is qui bovem cornupetam, equum calcitrosam, aliudve
animal nocivum sciens alit, damnum ab animali datum resarcire mul-
ctamque dictatam præstare tenetur, cumque ex dolo vel culpa graviori
reus sit, solvendo non existens, corporis afflictivam pœnam merito
sustinet *a. l. 1. §. ff. de Pen. vid. O. Cr. a. 136. ibique STEPH. HAHN.*
ad WESENB. tit. Si Quadrup. paup. n. 6. COLER. P. 1. Decis. 168. CARPZ.
Pr. Cr. qu. 131. n. 21. seqq. Delictum animal nocivum alentis.

Th. IX. Hactenus de Privatis delictis actum est, accedamus
ad publica, in quorum censum (1.) referimus stupratores ancillarum: (1.) Stuprati
Illi enim Jure Lubec. cum stupratam ducere detrectant, neque tantum
Ancillarum.
patri-

patrimonium possident, ex quo stupratam dotare & Magistratui mulctam 30. Marcarum Lubecens. solvere queant, incarcerati per 14. dies pane & aqua cibantur, ut commemorat *Stat. Lubec. L. 4. T. 5. a. 2. ubi vid. MEV. n. 8.*

Blasphemia
ex ebrietate
enormi pro-
fecta.

(2.) Huc pertinent Blasphemi ex ebrietate enormi tales: nam illis multa marcae auri puri in *Recess. Imper. de Anno 1495. Rubr. Die Pönderer so aus Hiße oder Zorn* etc. indicta est, cui solvendae impares arbitrio iudicis poena corporis afflictiva afficiuntur. *Conf. CARPZ. Pr. Cr. qu. 45. n. 59. BERL. P. 4. Concl. 1. n. 97. seqq.*

Wergeldi ob
homicidium
culposum om-
missa solutio.

(3.) Homicidio doloso affine est culposum, cuius intuitu, cum Wergeldi exactio fieri possit, non raro contingit ut reus solvendo non sit, eoque casu etiam in Wergeldi locum poena corporis afflictiva substituitur. *MATTH. COLER. P. 1. decis. 161. n. 67. 68. MOLLER ad P. 4. C. El. 12. n. 8. BERL. P. 1. Concl. 11. n. 23. CARPZ. Pr. Cr. qu. 34. num. 49. & qu. 138. n. 24. ubi praedict. n. 51.* Et haec quidem per indicem quasi exemplorum loco retulisse sufficiat, plura recenseri instituti ratio brevitatisque cura non permittit.

CAP. IV.

De

FORMA ET EFFECTU.

Th. I.

Forma

FORMA Tergi subsidiarii consistit in poenae corporis afflictivae, legis & magistratus autoritate, in poenae pecuniariae locum surrogatione *l. 13. §. 7. ff. de his qui not. inf.* Quanta vero poena corporalis in

Regula prima

locum pecuniariae substitui debeat sic determinari potest: ut quoties *lex ipsa certam corporis afflictionem excluso iudicis arbitrio definit, eadem precise, facti veritate perspecta, in reum statuenda sit. a. pr. 7. de off. jud. l. 1. §. 4. ff. ad SCT. Turpill. l. 15. ff. admunic. Quo-*

Secunda

ties vero certa poena corporalis in pecuniariae locum surroganda lege expressa non est, illa merito iudicis arbitrio relinquatur, ut circumstantiarum qualitate diligenter perpensa aequalem pecuniariae poenae poenam corporis afflictivam determinet, neque affectet vel severitatis vel clementiae gloriam l. 11. ff. de Pen. l. 1. §. 1. ff. de Effract. l. 1. §. 2. ff. de Jure del. l. 4. §. 1. ff. de incend. ruin. naufr. c. 4. X. de off. & Pot. jud.

jud. del. O. Crim. a. 150. TABOR. Racem. Crim. ad O. C. a. 158. tb. 7. 8. 9.
CARPZ. Pr. Cr. qu. 142. n. 48. MENOCH d. A. J. Q. Cas. 447. n. 34.
jung. GROT. de J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 33. in primis autem peritiores
(de quo in c. 2. tb. 8. egimus) sic exigente consulet personeque quali-
tatem excutiet: illius enim dignitas sæpè efficit, ut paucissimorum
dierum incarcerationis pœnæ pecuniariæ graviori æquipolleat, ceu indi-
cat CARPZ. Pr. Cr. q. 133. n. 46. j. SCHNEIDW. ad §. Pœnales J. de Act.
num. 62.

Th. II. Hoc loco non prætereunda est quaestio, *An judex, qui* *Qv. An Judex,*
reum in pœnam pecuniariam condemnavit, illique, solutione in- *qui reum in*
tra certum tempus non facta, certam pœnam corporalem, ut fustiga- *pœnam Pecuniariam con-*
tionem, membri amputationem, surrogavit, elapsò tempore definitò *demnavit, illi-*
ab invito debitore jus exigendi pœnam pecuniariam habeat? Quod *que solutione*
affirmativè decidimus cum JASONE in §. Pœnales J. de Act. n. 48. JUL. *intra certum*
CLAR. Sent. L. 5. §. f. qu. 95. n. 7. BOER. decis. 349. n. 8. SCIPIO GENTIL. *tempus non*
de jurisd. L. 3. c. 11. pœna enim corporalis ad maturandam solutio- *facta, certam*
nem in favorem judicis adjecta est, cui permissum juri pro se introdu- *pœnam cor-*
cto renunciare l. 20. C. de Pact. j. l. 4. §. 2. ff. de Leg. Commiss. præci- *poralem sur-*
puè quia pro evitandis corporalibus pœnis judex meritò laborat, nec *rogavit, ela-*
perire volenti suffragatur. a. l. 6. ff. de appell. l. 13. ff. ad l. Aquil. De *psò tempore*
Fine hoc loco nonnulla subjiceremus, nisi is ex adductis in c. 2. tb. 3. *definito ab in-*
verb. Non enim. & tb. 8. facillimo negotio colligeretur. *vito debitore*
jus exigendi
pœnam pecu-
niariam habe-
at? Resp. af-
firm. Effectus
TergiSubsidi-
arii principa-
lis.

Th. III. EFFECTUS Tergi Subsidiarii consistit in eo, quod pau-
per per Tergum Subsidiarium à pœna pecuniaria plenissimè liberatur
l. 17. §. 4. & 6. ff. de Injur. l. 7. §. f. ff. de Jure Patron. PAULUS de CA-
STRO ad l. 7. ff. de Jurisd. n. 9. in pœnis enim alternativis unum susti-
nisse sufficit, quâ superatâ obligatio ex delicto planè tollitur. l. 129.
ff. de V. O. c. 70. de R. J. in 610. Neque enim juris ratio idem, præser-
tim in pœnalibus, bis exigì patitur. l. 57. ff. de R. J. l. 41. ff. de Pœn.
l. 14 ff. de accusat. quod verum est quoque ut JASON. in §. Pœnales. J.
de Act. n. 47. & COSTAL. ad l. 7. ff. de Jurisd. num. 21. existimat, & si
tergò in subsidium punitus postea ad pinguïorem fortunam pervene-
rit, cum is qui satisfactionem accepit jus suum remisit. l. 17. §. 6. ff.
de Injur. j. l. 14. §. 9. ff. de Edil. Edict. l. 6. §. fin. ff. de off. Pres. Ne-
que in contrariam sententiam ducit exemplum eorum, qui beneficio
competentiæ muniti solidum solvere non compelluntur, nihilominus

E

ad



ad meliorem sortem delati, residuum præstare jubentur *a. l. un. §. 7. C. de R. U. A. j. l. 47. §. 2. ff. de Pecul.* Plurimum enim interest, utrum surrogata solutioni poena corporali creditori satisfactum sit, quo casu autoritate juris per corporis afflictionem virtualis solutio contigit, an vero juris privilegio suspensa magis quam extincta sit obligatio, quod in iis, qui competentia beneficio fruuntur, accidit, ubi neque lex, neque creditor animum plenissime liberandi debitorem habere præsumitur. *a. l. 62. ff. de Pact. j. l. 25. ff. de Probat. Conf. GOMES. ad §. Pœnales. §. de Act. num. 17.*

Minus Principalis.

Th. IV. EFFECTUS Tergii Subsidiarii MINUS PRINCIPALIS consistit in infamia, quæ eum, in quem corporaliter animadversum est, sequitur, cum delictum, ex quo talis afflictio corporis profecta, est famosum: non enim ictus fustium infamiam importat, sed causa, propter quam quis eundem pati meruit, si ea fuit, quæ infamiam damnato irrogat. In cæteris quoque generibus poenarum eadem forma statuta est, inquit MARCELLUS *in l. 22. ff. de his qui not. inf.* nisi forte in delicto famoso, præter merita delicti severiori & vindictam publicam respiciente corporali animadversione statuta, de fama quasi transactum sit *a. l. 13. §. 7. ff. de his qui not. inf. l. 4. C. ex quib. caus. inf. l. 15. ff. ad Munic. l. 10. §. f. ff. de Pœn.* lex enim plus accipiens quam debetur, ipsa quoque vicissim aliquid remittit. BACHOV. *ad Treutl. Vol. 1. Diss. 8. th. 2. lit. e. verb. idem.* BERNH. SCHOT. *ad ff. Diss. 17. th. 26.* quod usu non esse abrogatum cum BRUNNEM. *ad d. l. 13. n. 2. contra GROENEW. in d. l. rectè asseritur.* Unde in crimine furti, injuriarum &c. ob inopiam fustigatus infamiam incurrit, ob homicidium, vel incendium culpòsum sic condemnatus non æquè. SCIPIO GENTIL. *de Jurisd. l. 3. c. 35.* BRUNNEM. *ad l. 22. ff. de his qui not. inf. n. 1.* CARPZ. *Pr. Cr. qu. 131. n. 55.* Neque scrupulum nobis injicit doctrina GROENEW. *ad l. 22. ff. de his qui not. inf.* qui moribus non tam ex causa, quam ex genere poenæ infamiam irrogari credit, sibi que suffragari putat CARPZ. *Pr. Cr. qu. 136. n. 49.* Sed eundem CARPZOV IUM de infamia facti loqui existimo, cum opinione hominum propterea fustigationi notam adherere doceat, quod ea non nisi ex causa famosa vel publico crimine condemnato irrogari soleat. (2.) id quod frequentius est hunc Ictum exprimere puto, ita ut regula constituatur: fustigatus hodie habetur pro infami, ratio, quia plerumque hæc poena ex causa famosa infligitur, non exclusâ limitatione: nisi

ob

Obiectio
Grenewv.

Responsio.

ob causam non famosam, ut culpam latam lege non notatam poena fustigationis dictata sit, quod infrequentius accidit, inusitatum tamen non est, quandoquidem secundum ipsius CARPZOVII sententiam ex lata culpa condemnatus non fit infamis CARPZ. d. qv. 135. n. 5. HAHN. ad Wesenb. tit. de his qui not. infam. n. 3. id quod tamen contingeret, si ob homicidium culposum poena fustigationis statuta (vide Exemplum apud Eund. CARPZ. Pr. Cr. qv. 27. n. 34.) reus famæ jacturam faceret, vel ob nudam armorum gestationem ex statuto fustigatus pro infami haberetur. Consent. BRUNNEM. add. l. 22. ff. de his qui not. inf. n. 2. Conf. HARTM. PISTOR. O. 177. n. 24. EBERHARD. SPECKH. c. 1. qv. 15. n. 4. CORAS MISCELL. l. 1. c. 16. n. 5. HILLIG. ad DONELL. L. 18. c. 8. tit. 1. qui probabiliter ex jure Civili defendit, fustigatum ex causa non famosa ne quidem facti infamia laborare a. l. 14. C. ex quib. caus. inf. l. 12. ff. de decurion. quam fustigatus secundum mores hodiernos vix effugiet. vid. CARPZ. Pr. Cr. qv. 135. n. 52.

Th. V. Colophonem dissertationi nostræ imponat cautela haud inutilis, quam summo commendant opere Dd. quæ is qui ob inopiam metuit, ne sibi in carcere moriendum sit, & à carcere & à debito liberari potest. Scilicet hærens in carcere debitor petat debitum pecuniarium in poenam corporis afflictivam converti, eandemque sibi in carcere infligi, atque de cruciatibus corporis, quos perpessus est, instrumentum probationis gratia confici, ex quo cum sententiæ satisfactum appareat, & ab ulteriori creditoris exactioe & à carcere immunis erit JOH. BAPTISTA ASINIUS de execut. P. 1. c. 93. BARTH. CAEPOL. de Cautel. Rubr. relaxandi incarceratum. caut. 3. PAUL. de CASTRO in l. si quis ff. de Jurisd. n. 9. JASON. in d. l. Si quis. n. 30.

Cautela pro debitore qui metuit, ne sibi in carcere moriendum sit.

Habes L. B. ea, quæ de Tergo Subsidiario congerere atque differere ingenii imbecillitas institutique ratio permisit. Si meliora Tibi sunt meditata, eadem cum Tui cupidissimo communica, hæc satis tenuia æqui bonique pro benevolentia Tua consule, judicio autem libero usus fac, ne illud vel præceptis nimis vel partium studio corruptum experiar, qui officio pietatis admonitus id ago, ut sit communis vitæ laborumque

FINIS

SOLIUS DEI GLORIA,

1208
Indiga Virtutis paupertas opprimat; inter
Virtutis verò Sacra locata juvat,
Incitat illa pedem rectosque inflamat amores,
Dum dives lento tendit ad astra gradu.
Non igitur Virtutis amans vice plectitur æris,
Sed scelerum vulgus pœna dolorque manet.
Quod dum, PRÆTORI, doctè proponis, ad Astra
Te, voveo, Virtus evehat atque beet.

*Ita Nob. Dn. Respondenti, Auditori suo per aliquot annos
maximè industrio, de presenti Eruditionis
specimine gratulari voluit*

PRÆSES,

UT nihil æris habens luit ipso in corpore facta,
Quale peritorum regula Juris ait:
Sic qui sunt studiis fata inter iniqua dicati,
Sapius hos agitat corpore, mente labor.
Tu quod, Amice, probas, studio qui fervido adactus
Tergum in Subsidiū sæpe vocare soles.
Publicus en! loquitur testis, seductasina positum,
Subsidii à Tergo facta rubrica cui est.
Laudo Tuas operas: magmenta que plura precatus
Subsidia & posthac affore spero Tibi.

f. bona scæva ergo

M. CHRISTIANUS AMOS BÜRGER,
vocatus Lycæi Schneberg. Rector.

Dum calles gemini nodosa volumina Juris,
Ingeniique Tui specimen prænobile ponis;
Hinc Tibi surget honos ingens, hinc fama perennis,
Ceu Comes acceptus, portabit nomen ad astra.

G. HOMEL, Weisensfels. LL. Stud.





ULB Halle
003 869 849


3



(f) Sb.

WON





Dupl.
H.L.

31.

1685/10^a

12

I. N. J.
DISSERTATIO JURIDICA

De
TERGO SUBSIDIARIO.

vulgò
Von der Bezahlung mit der Haut.

Quam
DEO T. O. M. clementer annuente,

&
Magnifico Ictorum Ordine in Illustri
Philyreâ permittente,

Sub PRÆSIDIO
DN. LÜDERI MENCKENII,
Philosoph, & J. U. D.

Fautoris ac Præceptoris sui ætatem
devenerandi,

Placidæ Eruditorum disquisitioni submittit

31

AUTOR & RESPONDENS

ANDREAS BENJAMIN PRÆTORIUS, Lissa-Missa.

H. L. Q. C.

Ad d. XXIX. Octobris M. DC. LXXXV.

LIPSIÆ,

Literis CHRISTIANI BANCKMANNI



IONE
Deci
S. f.
nfion
t, Ac
um à
iciali
ficata
rcun
d. th.
nus i
onju
mt. l
dmon
quer
cipal
nati
e no
Or
D. 23.
ione
ut l
, ipf
m sp
entia

prim
L

